



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY





MONUMENTA
EVANGELICORUM AUG. CONF. IN HUNGARIA
HISTORICA.

MONUMENTA
EVANGELICORUM AUG. CONF. IN HUNGARIA
HISTORICA.

A
MAGYARORSZÁGI ÁGOST. VÁLL.
EVANGELICUSOK
TÖRTÉNELMI EMLÉKEI.

KÖZLI

FABÓ ANDRÁS,

AGÁRDI ÁG. VALL. PAP.

I. KÖTET.

PEST, 1861.

KIADJA OSTERLAMM KÁROLY.

BREVIS
DE
VITA SUPERINTENDENTUM EVANGELICORUM
IN HUNGARIA
COMMENTATIO.

VENTURÆ POSTERITATIS GRATIA

ANNO POST REPARATAM SALUTEM


MDCCLI.

OPTIMA FIDE RECENSUIT

ANDREAS SCHMAL,

ECCLESIAE AUGUSTANO-EVANGELICAE RATKOVIENSIS PASTOR ET VENER. CONTUBERNII
GÖMÖRIENSIS CONSENIOR.

PESTINI,
SUMPTIBUS CAROLI OSTERLAMM.
1861.



BX
8026
,H8
F3
v.1

A

MAGYAR PROTESTANS
EGYHÁZEGYETEMNEK

MÉLY TISZTELETTEL.

ELŐSZÓ.

A magyar protestantismus történelme méltóan megírva még nincs, mert azon művek, melyeket azon czim alatt birunk, minden elvitázhatlan belbecsök mellett, nem kimerítő munkák, hanem csak jó előmunkálatok gyanánt tekintendők.

Épen azért érkezettnek vélem már az időt, hogy hordjuk napfényre azon, eddig ismeretlen adatokat, elhúnyt tudósainknak nagy gond- és fáradsággal megírt, de az idők mostohasága miatt világot nem láthatott munkáit, melyekből össze lesz idővel állítható a magyar protestans egyházegyetem tanulságos történelme.

Ily adatok és kutfők közzétételére pedig nem csak azért, mert hazai irodalmunk terén számos hangyamunkás kéz fáradoz nemzeti multunk minden oldalú földerítésén, hanem azért is eljöttnek tartom immár az időt, mert hazánk történelmének kiegészítő része levén a magyar protestantismus történelme, tudósainknak ama másik téren naponként nyilvánuló munkálkodásával s nemzeti eseményeink ismerete gazdagításával nekünk protestansoknak egyebeken kívül azon oknál fogva is kell egyenlípést tartanunk, mert arra mutat minden jel, hogy 1848. után új korszak derült a magyar protestantismusra, e szerint multja ismeretét előkészíteni szoros kötelességünk.

Ezen okok birtak engem reá, hogy kísértsem meg azon egyháztörténelmi adatok- és kutföket, melyekkel rendelkezhetem, közrebocsátani.

Megkezdem ezen sokak által korszerűnek, egyszer-

smind szükségesnek elismert vállalatot a jelen kötettel, melyben Schmal Endrének, egykoron gömöri ág. vall. alesperes- és ratkói lelkésznek a magyarországi ág. vall. püspökökről irt s egyház-, iskola- és irodalom-történelmi adatokban gazdag munkáját veszik tisztelt hit-rokonaim.

Nem sikerülvén az eredetinek hollétét fölfedeznem, adom a jeles munkát azon másolat után, mely Gamauf nagybecsű gyűjteményével az áldott emlékezetű Mária Dorottya nádornő ö cs. kir. Fönsége buzgósa és áldozatkészsége által a magyarhoni ágost. vallásuak birtokába jutott s egyetemes könyvtárukban, Budán, őriztetik.

E másolat az eredetiből van-e leírva? följegyezve nincs, de aligha csalódom azt állítva, hogy Gamauf szintén csak másolatból iratta azt le; hibátlanságaért tehát nem kezeskedhetem, de a kézirat szélein világos nyomai vannak a leíró tévedéseit kiigazító kéznek, noha így is maradt még néhány, de ki nem igazíthattam csekélyebb hiba.

Találtam a kézirat szélein nem Schmal tollából folyt, de több tekintetben érdekes jegyzeteket, melyeket szintén közlendőknek tartottam.

A figyelmes olvasó következetlennenk fogja találni e kötetben — s ha Isten is úgy akarja, a következőkben is — a helyesírást, de azért csak a kézirat okolandó.

Folytassam-e e köteteket? a tisztelt közönség pártolásától függ.

Agárd, februarban 1861.

Fabó András.

Præfatio ad Lectorem.

Dum inter tacitos Musarum recessus saepenumero cogitarem, qua ratione illustre magnorum virorum nomen ab ingrata oblivione vindicari queat, in eam veniebam sententiam, vix hoc ipsum fieri posse commodius, quam si praeclara eorum merita ad gratam beneficiorumque memorem posteritatem procul odio et assentatione perscribantur. Idem enim haud incogitate existimabat Horatius, dum scriberet:

Dignum laude virum musa vetat mori,

et nulla non aetas diligentissime observabat, ne clarorum virorum memoriam, annis tacite senescentibus, culpa sua aboleri patiatur. Hinc pia antiquitati in more fuit, doctorum virorum memoriam stasis publicis et imaginibus, quae in Bibliothecis collocabantur, commendare posteritati *a)* et succedente demum tempore, in litteris referebatur, quicquid ad hanc rem, eruditorum iudicio videbatur pertinere, quod prolixè satis ex catalogis scriptorum ecclesiasticorum a Miraeo et Celeb. Fabricio collectis cognosci potest. Post felicem sacrorum emendationem non minus Galli, quam Angli et Batavi, et nullus non Germaniae populus in eo diligentissime elaboravit, ut quisque gentis suae decora pro eo, ac posset optime, describeret ad posteritatem. Imo erant non pauci, qui singularum Universitatum celebriores viros, eorumque vitam enarrarent *b)*, alii, quod mirum videri poterat superstitibus

a) Vid. Lipsii Syntagma de Bibliotheca Collectioni Maderianae insertum Cap. X.

b) Conferri meretur in hanc rem Andreae Chanitii Commentatio, de Viris Eruditiss Gedani ortis Vitteemb. 1715. in IV.

adhuc Viris quibusdam celeberrimis, de eorum vita et meritis commentari pulchrum esse arbitrantur *c)*, ut vel hac ratione rem litterariam adaugerent et virtuti dignum se statuisset pretium testarentur. Neque in gente nostra hungarica defuerunt viri, qui talibus Musarum Sacris operarentur. Nam olim jam Hieronymus Stridonio-Pannonius *d)* illustre sui temporis eruditorum decus, de Viris Sanctioris Reipublicae illustribus commentatus est, quem ejus Commentarium Joh. Albertus Fabricius Anno 1718. Hamburgi in Historia Ecclesiae notis variis illustratum magno eruditorum commodo, in folio recudendum curavit. Nec superiori seculo defuerunt viri, hujus studii multo amantissimi. Certe Daniel Lani *e)* in Ignea veritatis Evangelicae Columna egregium Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum consignavit, et Daniel Kleschius Presbyteros Scepusiensium ab anno 1519. ad An. 1667 bona fide complexus est *f)*. Nostris temporibus praeter Samuel Timon S. J. virum multo eruditissimum *g)*, David Czuittingerus *h)* in Specimine Hung. Lit-

c) Tales erant: Joh. Cristoph. Colerus, qui de meritis in rem litterariam D. Gottlieb Vernsdorfi Vitteb. A. 1719. et M. Joh. Christ. Vendlerus, qui de Valent. Ernesto Loescherio in eodem argumento Jenae 1720. commentatus est, ne de pluribus quidpiam adjiciam.

d) De Hieronymo vid. Des. Erasmus Roterodamus in vita ejus Anno 1521. Moguntiae in 8-vo edita et Czuittinger in Specimine Hungariae Litteratae p. 168. seq.

e) Daniel Lani patria Thurociensis, quondam Scholae Banovicensis Rector, dein Ecclesiae Galgociensis Pastor, ejusdemque Dioeceseos in Inclyto Comitatu Nitriensi Senior fuit, ubi primum Igneam veritatis Evangelicae Columnam edi curavit, dein Neosolium translatus, et ad aedem Elisabethanam Presbyter constitutus, libri sui iteratam editionem Lipsiae 1659. procuravit, vir de rebus Evangelicis immortaliter meritus.

f) Daniel Kleschius, de quo alibi erit dicendi locus, scripsit Catalogum Presbyterorum Scepusiensium, qui prodiit Bartfae 1668. litteris Georgii Sambuch in IV. Breve quidem est scriptum, sed propter indicia vetustatis nomine Kleschiano non indignum. Recusus est iterum Bartfae ClQIQ LXIX. die 20. Novemb. Typis Civit. imprimebat Thomas Scholtz.

g) Inter eruditissima Cel. Timonis scripta referri debet Purpura Pannonica, s. res gestae S. R. E. Cardinalium Tyrnaviae an. 1715. in fol. Vel hinc facile est arbitrari de varia et ea quidem recondita Celeb. Timonis eruditione.

h) David Czuittinger Schemnitzensis, genere nobilis, dum Altdorfii age-

teratae ita elaboravit, ut haud exigua ad rem Hungariae Litterariam facta fuerit accessio, ne quid de Viris celebribus jam in Domino quiescentibus Belio *i*) Hajnóczio *k*) et qui de patria optime mereri nitebatur, Rotaride *l*) adjiciam. Primus enim in Notitia Hungariae et in Adparatu ad res Hungaricas passim, in epistola Gratulatoria Superintendenti Joh. Sipkovits dedicata alter, postremus in Lineamentis Historiae Hungaricae Litterariae omnium confessione egregie hac opera defunctus est, quamvis credam, multa adhuc superesse monumenta, rem litterariam hungaricam egregie illustratura, si ex avaris doctorum scriniis protrahi, aut inter Schedas hinc inde latitantes investigari possent. Quicquid sit, mihi non male de re litteraria mereri videntur, qui unius alteriusve viri vitam, et quae huc videntur pertinere, genuine percensent, ut, si non adsint planiora, vel hinc de habitu temporum, quibus vixit, venturae posteritati liceat arbitrari. Subinde enim talia in tenni alioquin Schediasmate reperias, quae in prolixis haud raro Annalibus frustra quaesiveris. Hinc nihil me a pietate alienum facturum existimo, si de Venerabilium Superintendentum Evangelicorum in

ret, Specimen Hung. Litteratae 1711. evulgavit, quod etsi sine utilitate non abierit, optandum tamen fuisset, ut errores, qui irrepserant, in otio domestico iterata editione correxisset, de quo videatur Cl. Rotarides in Lineamentis p. 62. seq.

i) Matthias Belius egregius patriae Historiographus in I. Comitatu Soliensi oppido Otschova a. 1684. natus hoc meruit, ut exteri, quibus ignotus esse non potuit, vitam ejus percenserent et de meritis in rem litterariam prolixè commentarentur. Talis erat Joh. Jacob. Moserus in Additamento Lexici Eruitorum Seculi nostri Theologorum lit. B. p. 54 et Christi. Gottlieb. Buderus in bibliotheca historica Selecta Strinciana Cap. 28. Hi uti mihi otium fecisse videntur, ita hoc dolent multi, quod vir multo longiori vita dignus a. 1749. obierit. Posenii solenni funere elatus, postquam annos 65. exegisset. Hujus viri Cel. mortem Georg. Farkas hoc prosecutus est Chronosticho :

CLarVs In arte BeeL Matthias Vir ReVerenDVs
eXVtVs VIta regna beata tenet.

k) De Hajnóczio erit in posterum commodior dicendi locus.

l) Michael Rotarides Otrokocsino-Gömöriensis, conquisitis magno labore in patria documentis, Historiam Hungariae Litterariam Antiqui, Medii, atque Recentioris Aevi moliebat; sed fato functus praeter Lineamenta A. 1745. Altonaviae et Servestae edita, luci publicae nihil exposuit. Si fidem, quam dederat, exsolvere potuisset, meo judicio, optimae destinationes prolixa utilitate non caruissent, imprimis, si magis modestam scribendi rationem iniisset.

Hungaria, et ubi se dederit occasio, aliorum quoque doctorum Virorum vita et meritis breviter fuero commentatus, non quasi sperem, me tantorum virorum merita oratione mea exaequare posse, sed ut constet posteritati, quorum olim opera Res Evangelica apud nos fuerit sustentata et ne sequuturæ posteritati cum Horatio libr. IV. oda 9. querulandi locus sit :

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi : sed omnes illacrymabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte : earent quia Vate Sacro.

Nisi enim Ilias Homeri exstitisset, idem tumulus, qui corpus Signi contexerat, nomen etiam obruisset, ut Cicero in Oratione pro Archia prudentissime existimavit. Ut autem omnis in scribendo confusio commodius evitari queat, elaborabo diligentissime, quo exilis hæc Commentatio, duabus distinctis partibus absolvatur, in quarum priore Superioris, in posteriori autem hujus seculi Superintendentes, in certas classes distributos, ea, qua fieri potuerit, adcuratone percensebo. In eo Lectorem benevolum certum esse volo, me nihil Commentationi huic intulisse, quod non mihi ex genuinis documentis et libris Vener. Contuberniorum Memorialibus, quos Protocolla appellamus, certum prius fuerit atque exploratum. Deus rebus meis nunquam non propitius indulgentissime efficiat, ne labor hic multis vigiliis, dum apud Felső-Sajoienses Sacris operarer, concinnatus et jam singulari ejus munere apud Ratkovienses continuatus, in vanum susceptus videatur. Tu autem, quisquis es Lector Benevole :

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas, officiumque fuit.

Prolegomena

de

Ordine et fatis Superintendentum Evangelicorum in Hungaria. :

Posteaquam singulari Dei providentia emendata per Lutherum religio Evangelica, in Hungariam quoque felicibus auspiciis

propagata fuisset a), magna animi contentione elaborabant non pauci, ut cum sanctiori illo deposito constituatur inter Ministros ordo duraturus ad posteritatem. Videbant enim adsertores illi rei Evangelicae, ita natura comparatum esse, ut nulla humana societas absque ordine sive consistere, sive diurna esse queat. Hic etsi dici satis non potest, quam multis exquisitisque modis pias Evangelicorum destinationes, intempestiva nonnullorum consilia, intervertere studuerint; impedire tamen non poterant, quin post tristia Ludovici II. Regis Hung. fata, secundum Deum, Petri Perényi et Casp. Drágfi industria effloresceret religio Evangelica et induceretur ordo, res sacras haud dubie sustentaturus. Praeterea enim, quod Sacrae Societates, quae nunc Contubernia appellantur, fuerint constitutae: etiam communibus suffragiis eligebantur Seniores et Superintendentes, qui reliquis ministris cum auctoritate moderarentur. Certe Cibinii in Transilvania Paulus Venerus Superintendens Evangelicus An. 1553. Ministros renunciare coepit b), quem sequutus fuit Matthias Heblerus, Vir perpetua memoria dignus, et de Augustana Confessione egregie meritus, Ecclesiarum Evangelicarum in Transilvania Superintendens, Anno 1572. beate in Domino mortuus c). Eodem Seculo in Vener. Contubernio nostro Gömöriensi, cui eo tempore Kis-Hontense quoque adjunctum fuit, Cyprianus Fridt, Martinus Reinhardus et Joannes Rimanoviani, erant Sacrae Caesareo-Regiae Majestatis in arce Murán concionatores et illius Tractus Superintendentes Evangelici d). Hi etsi ministros non renunciarint, sed sacri Ministerii Candidatos pro suscipiendis ordinibus Brigam Silesiorum expedire soliti fuerint: certum tamen mihi est et exploratum, postremum illum, anno 1596. solennem ecclesiarum visi-

a) Hoc communi historicorum sententia ad A. 1523. et seq. referri solet, dum Viri ex Germania reduces et plenius de religione Evangelica informati, quales erant Martinus Cyriaci, Leutschoviensium Pastor, Dionysius Lyneci, Balth. Gleba, Michael Sztarai, Christian. Lanfus aliique magna dexteritate religionem Evang. propagarent. Conf. Hist. Diplom. p. 3. §. IX.

b) Videri potest hanc in rem Hist. Diplomatica p. 7. §. XXXVI.

c) De Heblero praeter Hanerum in Hist. Eccles. Transilvan. legi potest Lampe in Hist. Ecclesiastica, quam Trajecti ad Rhenum An. 1728. divulgavit.

d) Habentur haec in libro Memoriali illius temporis, quem Protocollon Vener. Contubernii nostri Gömöriensis nominamus, ex quo desumpta recenset Lampius loc. cit. p. 311.

tationem nstituisse, et multa pie non minus, quam prudenter ordinasse, quam ejus visitationem posteritatis causa adhuc inter cimelia nostra adservamus. Abierat fere seculum, dum Religio Evangelica publicis Regni legibus firmaretur, et indulgentia Regum, totiusque Regni Consensu Superintendentes obtineret, reliquis Ministris pleno jure invigilatuos. Praeterquam enim, quod A. 1606. in Pacificatione Viennensi sub Rudolpho 2. gloriosae recordationis Imperatore e) primum fundamentalis de libero Religioni exercitio Articulus conditus est: etiam in publicis regni comitiis an. 1608. sub Mathia II. rege Hungarorum Posonii celebratis, confirmata prius religionis libertate, constitutum et omnium Statuum Regni Consensu confirmatum fuit, ut quaelibet religio publica Regni lege admissa, suos habeat Superintendentes f). Haec dum fiunt, consilio Illust. quondam Comitis Georgii Thurzo, Regni Hungariae Proregis, Anno 1610. Mense Martio Synodus Solnae congregata g)

e) Tam fuerat Rudolphus II. carus Evangelicis, ut eidem an. 1612. die 20. Jan. demortuo, omnes Ministri ad diem 23. Febr. ex voluntate Proregis Hung. Georgii Thurzo, in templis suis, non sine dolore, ultimum honorem fuerint contestati.

f) Articulus in publicis Regni Comitiis consignatus ita sonat: ad praecavenda inter Status et Ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet Religio suae Professionis Superiores s. Superintendentes habeat, statutum est.

g) Supersunt Acta Synodi Solnensis An. 1610. edita. Huic Synodo peculiari scripto contradixit Illust. Franciscus Forgách de Ghymes Archiepiscopus Strigoniensis, cui tamen Ordines Evangelici consignata Apologia pro Synodo Solnensi ejusque Constitutionibus An. 1610. Cassoviae per Joh. Fischer in IV. impressa, modeste responderunt. Contra hanc Apologiam Evangelicorum scripsit Joh. Janicius Parochus Senquicensis Peniculum Papporum Apologiae Solnensis Conciliabuli Posonii An. 1612 in IV., quem tamen pro eo, ac meruerat, perstrinxit Petrus Petschius Minister Ecclesiae Freyvaldensis, in libro, cui titulus: Malleus peniculi adversus Apologiam Synodi Solnensis editi Cassoviae apud Joh. Fischer An. 1612. in IV. Gravis hic fuit Jamicio Malleus, hinc vulnera, quae malleus sibi infixerat, aliqua ratione declinaturus, evulgavit Posonii An. 1612. librum, cujus haec est Inscriptio: Logi Alogi, quibus Baptae Calmosphactae Peniculum Solnensis Conciliabuli et Hyperaspisten legitimae Antilogiae vellicant, veritatis radiis adobruti. In hoc, uti et in priori, Janicii libro, si studium Reverendissimo Praesuli complacendi excipias, praeter barbariem emendatae latinitati invisam et mille calumnias, vix reperias quidpiam. Hinc ipse R. Pater Franciscus Kazy S. J. qui utrumque librum Petro Pázmáno adscribit, ingenue confitetur, eum scribendi genere usum fuisse Satyram redolente et exoletis vocabulis obscurato. Vid. Historiam Regni Hungariae editionis Tyrnaviensis An. 1737. p. 96.

ad mentem Articuli, auctoritate Regia et Consensu Statuum Regni confirmati pro decem Comitatus[Cis-Danubianis] 3. elegit Superintendentes. Idem An. 1614. in superiori Hungaria Liberae Regiaeque Civitates et I. Comitatus Scepusiensis et Sárosiensis in Synodo Szepes-Várallyiensi, sub praesidio Christophori Thurzo celebrata, non minus pie, quam feliciter praestiterunt. Nostro certe Ven. Contubernio Gömöriensi aequae auctoritate Proregis Hungariae, quem Palatinum appellamus, potestas eligendi et constituendi Superintendentem 10. Jul. 1610. solenni Diplomate adfirmata fuit, quod etsi mutatis jam rebus, ad utilitatem nostram nihil amplius conferre posse arbitremur: tamen sequuturae posteritatis gratia, ex originali bona fide transsumtum adscribitur, ut vel hinc quilibet de felicitate eorum temporum existimare queat *h*). Cur Majores nostri

h) Diploma Ven. Contubernio Gömöriensi ratione Superintendententis ~~datur~~ sequens est:

Nos Comes Georgius Thurzo de Bethlenfalva, Regni Hungariae Palatinus, Judex Cumanorum, nec non de Arva perpetuus, ejusdemque Comitatus Supremus Comes: Serenissimi Principis ac Domini Domini Matthiae II. Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Schlavoniae etc. Regis, designati in Regem Bohemiae, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Marchionis Moraviae, Comitis Tyrolis etc. Consiliarius, ac per Hungariam Locumtenens etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis, quod requisiverunt Nos debita cum instantia Reverendi Domini, Georgius Fabritius Pastor Alnoviensis Senior, et Petrus Sextius Pastor Csetnekiensis Consenior, Dominorum Ministrorum in Comitatu Gömöriensi commorantium, nec non M. Leonhardus Martini Rosnóbanensis Ecclesiae Pastor, suo et totius Contubernii Dn. Ministrorum ejusdem Comitatus Gömöriensis Augustanam Confessionem amplectentium, nominibus et in personis, supplicarentque humillime quatenus plenariam ipsis in medio sui Superintendentem, more alias in Regno hoc observari solito, eligendi et creandi, ex officio et Autoritate Palatinali, Legibusque et Statutis publicis Regni, non ita pridem etiam sancitis, ac per suam Majestatem Regiam Dominum Nostrum Clementissimum gratiosissime confirmatis, id admittentibus, daremus et concederemus facultatis potestatem. Et quia cum in alio quovis vitae genere tum Ecclesiastico in primis bono ordine, disciplina, regimine inculpabili, ut omnia rite et decenter fiant, opus esse existimamus, idque ad Dei Optimi, Maximi gloriam et ejus Sanctae ecclesiae militantis in his terris propagationem, Eisdem Dominis Ministris, rem tam piam, utilem et necessariam postulantis, merito id denegare non potuimus, nec debuimus. Idcirco praefatis Dominis Ministris tales idoneas et ad hoc officium Superintendentis aptas personas, e medio sui plena eaque auctoritate, qua ceteri in Regno hoc Hungariae Superintendentes utuntur, fruuntur et gaudent, eligendi et creandi, talique Superintendenti Ecclesias suae

hac concessione usi non sint aut uti non potuerint, id ego juxta cum ignarissimis scio; hoc tamen mihi certum est, eos procedente tempore, Consistorio Semptaviensi adhaesisse, Legibusque et Articulis illius Consistorii, cui suberant Fratres a lacu Ferteß in Comitatus Nitriensi, Psoniensi, Mosoniensi, Jaurinensi, Comaromiensi, Barschiensi, Neogradiensi, Strigoniensi, utroque Hontensi et Gümöriensi*), subscripsisse †) et in ordinandis Ministris, propter vicinitatem, opera Superintendentum Lib. Regiarumque Civitatum et haud raro Briznensium usos fuisse. Perdurabat inter frequentissimas mutationes annis fere LX. sanctior illa Superintendentum constitutio et in diversis Hungariae partibus, post felicem constitutorum Superintendentum obitum, sufficebantur communibus suffragiis alii, pari jure et dexteritate provinciam illam administraturi. Post decennalem illam ecclesiae divexationem, quae post medium seculi superioris sub glorioso Leopoldi Magni imperio contigerat, superfuit unus Zabelerus Bartphensis, qui in diversis locis non sine praesentissimo vitae periculo Ministros renunciabat; de quibus in vita ejus amplior erit dicendi locus. Tandem sub initium hujus se-

Dioecesi subjectas visitandi, aliaque munia vocationis suae, sedulo, libere et sine cujusque impedimento, peragendi, exequendi et administrandi, plenariam et omnimodam potestatem attribuentes, dandamque et concedendam esse duximus; imo attribuimus, damus et concedimus harum Nostrarum vigore et Testimonio Litterarum mediante. Datum in Libera Civitate Regia Cassoviensi die decima Mensis Julii, An. Domini Millesimo, Sexingentesimo, Decimo.

Comes Georgius Thurzo (L. S.)

*) Ecclesias Gümörienses Consistorio Semptaviensi adhaesisse affirmari non potest, tum quia Consistorium illud ultra tria lustra aetatem non produxit, quippe post defectionem Tobiae Brunczviçk emortuum; tum quia nec in Semptaviensi, nec in Seredina Synodo ulla fit nunciorum Gümöriensium seu politicorum seu ecclesiasticorum, ac ne ecclesiarum quidem aliquarum commemoratio; tum quia Jacob. Király P. olim Rosnaviensis Vng. contestando legibus Contubernii Gümöriensis subscripserat, se a more ecclesiarum Máttyusfölden non recessurum per eam subscriptionem; manifesto indicio Gümöriensibus ecclesiis nihil commercii cum Consistorio Semptaviensi intercessisse. (Valószinűleg Gamaufjegyzete vágy másvalakié).

†) De his consuli potest Historia Diplomatica p. 35. col. a §. XXXVI. seq. in qua et Leges Consistorii Semptaviensis per Tobiam Brunczviçk, Aulæ Semptaviensis Concionatorem et Superintendentem oblatae, a Stanislao vero Thurzone, Regni Hungariae Palatino 1. Sept. Anno 1622. plèno jure nfirmatae recensentur.

culi aliquot constituti erant Superintendentes Evangelici, quorum tamen auctoritas commutatis patriae rebus non parum nutabat et subinde coarctata, fere ad interitum properare videbatur, nisi illud totius Europae sidus, gloriosae memoriae Imperator Carolus VI. et rex Hungariae Clementissimus, qui cum Constantino, Theodosio et Carolo Magnus jure adpellari meretur *k*), quatuor Evangelicis Superintendentes indulisset. Quod uti magnum est et ad omnem Posteritatem insigne Regiae Clementiae Documentum: ita mihi nihil superest amplius, quam ut fidem datam exsolvam, vitamque et fata Superintendentum Evangelicorum in Hungaria, ordine in superioribus commemorato, percenseam. Feliciter!

Pars prima

de

Superintendentibus Seculi superioris.

Dum tacitus ipse mecum cogitarem, qua ratione Superintendentes, qui superiori saeculo rebus Evangelicis moderabantur, optime distingvi possent; salvo aliorum iudicio ita existimabam, vix id ipsum fieri posse commodius, quam si, pro numero trium Synodorum, Solnensis, Várallyensis *a*) et Csepregiensis *b*) in Cis-Danubianos, Cis-Tibiscanos et Trans-Danubianos distingvantur. Hinc

k) Vide in hanc rem I. Caroli a Neuen Aulæ Caesareae Poetae Laureati, Comitia, um Hominumque in Regia Pisonis An. 1722. inita, et Michaellem Bentsik in epistola Dedicatoria libelli, cui Titulus: Novissima Diaeta Nobilissima.

a) De Synodis Solnensi et Várallyensi in Prolegomenis p. 8. et 9 dictum fuit, quod ad hanc rem satis est.

b) Postquam Formula Concordiae, tanquam scriptum ecclesiarum Evangelicarum Symbolicum, sub finem saeculi 16. in Hungaria publici juris fieret: ut in superioribus Hungariae partibus, ita trans Istrum quoque, communibus Synodi Csepregianae, Anno 1590. institutae, suffragiis recepta fuit. Sed quia multi, qui ad mentem Calvini docuerunt, libro huic Symbolico subscribere detrectarunt, satis in eo habituri, si sub specioso Augustanae Confessionis titulo latere potuerint, Illustris Franciscus de Nádasd pacis non minus, quam veritatis amantissimus Anno 1591. Mense Junio conventum Csepregini indixit, ut Stephanus Böyte Nemet-Ujvariensis Minister, nec non ecclesiarum circa fluvium Rabum Superintendens, et Severinus Sculteti Bartphensium Evangelicorum Pastor in Articulo de Coena Domini colloquantur. Haec dum fiunt

Sectio I

de

Superintendentibus Cis-Danubianis.

Tanta erat sub initium seculi superioris ecclesiarum Evangelicarum in 10 Comitatus Cis-Danubianis amplitudo, ut iis, deliberato omnium consilio in Synodo Solnensi An. 1610. tres praefererentur Superintendentes, quorum unus Trenchiniensi, Liptoviensi et Arvensi; alter Thurotziensi, Neogradiensi, Soliensi et Honnensi; tertius Poseniensi, Nitriensi et Barsiensi moderarentur. Hinc ut de omnibus ordine dici queat, Sectio haec tribus definietur Capitibus.

Caput I

de

Superintendentibus ecclesiarum in I. Comitatus Trenchiniensi, Liptoviensi et Arvensi.

Postquam Comes Georgius Thurzo, titulo Proregis Hung. insignis, Sigismundus Balassa, Moses Szúnyogh et reliqui Magnates Evangelici, qui in partem curarum veniebant, Synodum Solnensem coegissent, primus omnium pro nominatis Comitatus, liberis praesentium suffragiis, in Superintendentem electus fuit

Elias Lani *)

Ecclesiae et aulae Bitschensis Minister, nec non Ven. Contubernii Trenchiniensis Districtus Superioris Senior, Vir, nisi condi-

Böyte multis numero argumentis victus, post coniecta in nostros convicia furibundo similis templo egressus est et colloqui amplius detrectavit. Vid. Hist. Colloquii Csepregiensis, a Gregorio Horváth Stansith de Gradecz I. Comitatus Scepusiensis Vice-Comite Bartphae in 8. Anno 1591. edita. Huic tanto magis fides haberi debet: quanto certius est, eum non tantum Colloquio Csepregiensi interfuisse et officio Notarii cum filio Superintendentis Böyte defunctum esse, sed etiam ea, quae Böyte adnotaverat, bona fide edidisse. Conf. si placet Phosphorus Balduini Lib. III. Cap. 34. p. 293.

*) Elias Lani Veresvariensis V. Contubernii Galgótzienis Senior, aut alter ejusdem nominis Pastor Ujhelyiensis ad Kiszuczam cum nostro confundi

tio mortalitatis obstitisset, multo longiore vita dignissimus. Postquam apud Thurocienses, ut ipse in Autographo suo confitetur, singulari divina providentia natus fuisset, studiis melioribus dedicatus ita rem suam diligenter egit, ut 1595. Gymnasii Neerensis collega factus fuerit, et sub finem seculi XVI. florenti scholae Alnoviensi praeficeretur. Quanta cum laude et commissae sibi juventutis emolumento hic fuerit commoratus, vel hinc facile est existimare, quod circa An. 1597. amplissimae ecclesiae Moschoviensis Pastor et Anno 1602. Ven. Contubernii Thurociensis Senior fuerit constitutus. Ubi praeterquam quod Coetui sibi credito exstanti cum utilitate praefuerit: etiam latis Ven. Contubernio legibus ordinem induxit duraturum ad posteritatem *a*). Vixit eo tempore Thomas Fabritius, Ecclesiae Patakiensis Minister, qui evulgata de imaginibus disceptatione, omnem earum usum non sine temeritate ex ecclesiis propulsabat, cui Lanus noster Anno 1599. Scutum libertatis Christianae in usu Ceremoniarum, nominatim autem imaginum, opposuit *b*) et cum Fabritius exarmationem Scuti Laniani conscripsisset, noster non minus emendatae religionis, quam veritatis amans, pro ea, qua erat soliditate, Defensionem Libertatis Christianae in usu Imaginum historico, eodem Anno 1599. Bartphae edidit et Scutum suum, omnium confessione, egregie tuitus est. Huic libello Paullus Malus *c*), Scholae Moschoviensis Rector, hanc in Patakiensem illum pro sua in Poësi facilitate praemisit inscriptionem:

Loripedem rectus vates derideat, inquit,
Tu rectos rides claude Vacine Viros.

non debet, cum magnis revera intervallis distingvantur. Superintendens enim sub initium Seculi superioris, alter circa medium, postremus praesenti jam Seculo floruit, et Anno 1710. inConventu Solnensi Senior Contubernii Trench. constitutus fuit.

a) In hanc rem conferri possunt Leges Ven. Contubernii Thurociensis.

b) Prodiit Scutum Lanii Bartphae in forma 8. Anno 1599.

c) Paullus Malus alias Jablonovszky patria Liptoviensis, fuit primum scholae Neerensis in Scepusio Collega, dein Anno 1595. Moschoviensis Rector. Hic scripsit carmen multo elegantissimum in obitum Spect. Domini Gregorii Horváth Stansith de Gradez, et hinc Galgoczium, atque tandem Modram delatus Tractatum de Peste An. seD Libera nos a MaLo, ne quid de Meris ejus adjiciam, quae imprimis de triplici Colloquio cum Paulo Joh. Dubovszky Praeposito Tyrnaviensi, reliquit posteritati.

Claudos namque vocas, qui coelica verba sequuntur
Qui puro Christum pectore et ore colunt,
Idola, qui fugiunt, unum qui nomen adorant,
Praesens qui Christi corpus adesse docent.
At tu, qui Christum vinclis super aethera stringis,
Quam merito claudus diceris esse mihi.

Dum apud Thuroczienses commissam sibi utramque provinciam cum dignitate tueretur, Comes Georgius Thurzo post beatum Joh. Nostitii *d*) Pastoris sui obitum, non prius quievit, quam eum lateri suo adjungeret, ejusque directioni aulam suam et universam ecclesiam Bitschensem committeret. Huc Anno 1608. delatus, ita omnium exspectationi respondit, ut non tantum Anno sequenti 29. Jan. Vener. Contubernii Trenchiniensis Senior, sed etiam in Synodo Solnensi An. 1610. in praesentia Comitum, Baronum, Magnatum et Ministerii Evangelici, Superintendens constitueretur, solenni ritu 30. Martii inauguratus. Dum se huc sublatum esse vidit, praestiti jurisjurandi memor, in eo cum reliquis duobus Superintendentibus vel maxime elaboravit, ne sub ejus directione purior Dei coetus Evangelicus pessum eat, aut emendatae religionis jacturam fecisse videatur. Hinc anno 1612. communi consilio Bitschae conveniunt, unam eandemque docendi rationem in Ecclesias inducunt et quod consultissimum fore judicaverunt, omnia ad normam Ecclesiarum Saxonicarum componunt. Hac certè occasione Lutheri Catechesin in Slavicum transpositam Illustrissimo Proregi, Comiti Georgio Thurzo *e*) ejusque conjugii Elisabethae Czobor, dedicarunt, imo ejus sumtibus impressam, in omne inspectioni suae subjectas ecclesias induxerunt, et quinque illos Articulos, qui in ecclesiis nostris primum

d) Johannes Nostitius fuit Bitschensis Pastor et Ven. Contubernii Trenchiniensis Senior, a Reverendissimo Marcello Nagy, Abbate Szkalsensi et Archi-Diacono Trenchiniensi in officio Senioris An. 1599. confirmatus.

e) Laudarem hac occasione, u i meruerat, insignem hunc purioris religionis vindicem, nisi id olim jam magni nominis Viri cumulatissime praestitissent. Huc retuleris Isaacum Abrahamidem Praepositum Bajmocensem et Superintendentem in Panegyri funebri Leutschoviae 1716. edita, nec non M. Jeremiam Spregelium *) Praepositum et Superintendentem Hembergensem in Solennibus Justis Comiti Georgio Thurzo Wittenbergae An. 1618. praestitis. Honorarunt haec Justa doctis carminibus Celeb. Wittenbergensium Professores, inter quos Jacobus Martini ita Thurzonem nostrum non minus erudite, quam ex vero describit:

proponi solent, olim jam in quibusdam locis usitatos emendarunt, confirmarunt et Catechesi Lutheri non sine ratione adjunxerunt *f*). Hac opportunitate quoque optimi Superintendentes pro sua prudentia constituerunt, ut Ministri Evangelici publicas officii partes obturi Albis utantur, ne in rebus alioquin liberis eos traducendi sit occasio *g*). Sed non satis erat Lanio, diversam docendi vivendique rationem sustulisse, etiam verbo divino contraria docentibus spiritu Eliae resistebat. Quod uti semper alias, ita tum praestitit luculentissime, cum Joh. Moschovinus alias Poloni dictus *h*) blasphemum Photini errorem Hungariae importaret eumque clam et tacite in

Justitia alter Aristides, virtute Metellus,
Eloquio Nestor, Religione Numa.
Regis dextra manus, primaria gemma coronae,
Praesidium Phoebi, consilium Populi.

Majores Thurzonis nostri, quorum virtutes Moravia suspexit et Germania admirata est, Ursinus Velius Huttenus Eques Germanus, Joachimus Vadianus et Jonas Dubravius aeternorum monumentorum praeconiis immortalitati consecrarunt. Vid. Carmina Stephani Xylandri super funus C. Christoph. Thurzo.

**)* Erat hic praceptor filii Emerici Vittenbergae, quod patet ex Horis primis exercitationum Oratoriarum etc. 1615. in 8. (V a l ó s z i n ü l e g m á s n a k j e g y z e t e.)

f) Vid. Daniel Pribiscii Pastoris Harhoviensis et Contubernii ad inferiorem fluvium Poprad Senioris, Catechesis Lutheri cum Rosario animae et cantionibus. Typis Sam. Breveri Leutschoviae An. 1634. in 8. edita et Cath. Thurzo, Stephani Toekely conjugi, quae sumtus in editionem contulerat, dedicata. Cf. Georgius Ambrosius Superintendens in Analysisi Catecheseos Lutheri. An. 1745. impressa in 12. p. 50.

g) Hanc constitutionem Superintendens Isaacus Abrahamides per Rev. Jacob. Spieglerum Teutopronensem Pastorem et Contubernii Seniore peculiari litteris, quae ad manus sunt, reliquis Pastoribus significavit, et ut observetur, commendavit.

h) Johannes Moschovinus Thuroczyensis, a patria Moschovia ita appellatus, fuit in Polonia Lubloviensis et Rachoviensis Minister. Iste, ut dicebat visendorum amicorum causa in Hungariam delatus libellos, qui blasphemos Photini errores continebant, hinc inde sparserat et per litteras mutuaque colloquia non paucos corruerat. Hoc cum prudentiores diutius latere non potuisset, in vincula conjectus fuit, communi demum consilio ex Hungaria proscriptus, et nisi equestris dignitatis Poloni pro eodem laboravissent, acerbiora, ut opinor, fata coactus fuisset experiri blasphemus ille inferni candidatus.

omnes partes disseminare niteretur. Tunc Lanus, communicato cum prorege consilio, Ann. 1616. die 28. Febr. *) Bitscham Synodum convocat et praesentibus non tantum Samuele Melikio et Isaaco Abrahamide Superintendentibus, sed etiam plurimis, utriusque ordinis viris, Moschovinum, qui in vinculis detinebatur, strictiori examini subicit et juxta cum aliis blasphemi erroris convincit. Haec dum fiunt, Ill. C. Georgius Thurzo cum reliquis praesentibus ordinis politici viris, Moschovinum ex Hungaria in perpetuum proscribit, et ut libelli ejus, quos hinc inde sparserat, igne exurantur, sancit, nihil impediante Palatini Podoliensis per internuntios suos intercessione. In hac Synodo Matthias quoque Lochmannus †), Lanii apud Moschovienses successor, eo nomine acerbissime castigatus fuit, quod cum Moschovino colluserit et filium suum Georgium in Poloniam missum ei prolixè commendaverit. De eruditione et pietate Lanii non est cur prolixè edisseram. Utrumque enim evidentissime testatus est hymnis, quos et complures posteritati reliquit, et ita elegantes, ut omnibus fere dubiam in hoc studii genere palmam fecisse videatur. A quibus percensendis tanto lubentius supersedco, quanto faciliori opera in Transicii Cythara Sanctorum investigari possunt. Eo nomine ut quamplurimum felix fuisse videtur, quod nobilem gentem Lanianam foecundo admodum traduce propagaverit. Nam Danielis, Zachariae, Gregorii, Isaaci fuit felix pater et Davidis Lani ex fratre suo Daniele nati avus, de quibus omnibus imposterum uberius erit dicendi locus. Multitudine laborum et continuis fere vigiliis fractus, postquam omnia sua praeclare egisset, Anno aetatis XLVIII. in Domino beate mortuus est. An-

*) Immo 26. Vid. Protocollon Ven. Fraternitatis Liptoviensis. (M á s valakinek jegyzete).

†) Matthias Lochmannus Senior, patria Neosoliensis, vir fuit doctus et imprimis litterarum graecarum peritissimus. Dum Leutschoviae studiis operaretur, admodum juvenis An. 1586. Epithalamion graecum typis imprimi desiderabat, sed propter defectum litterarum non est. Fuit Alberti Hussellii in schola Prividiensi discipulus et Anno 1590. ejusdem scholae Rector, qui post quinquennium Solnam translatus non sine utilitate copiosae juventuti moderabatur. Minister factus primum Szuchanensi, dein Moschoviensi ecclesiae praefuit et Ven. Contubernii Thurocziensis Seniore egerit, eo nomine infelix, quod non tantum Calvinismi, sed etiam propter intercedentem cum Moschovino familiaritatem, Photinismi suspicionem incurrerit et An. 1616. peculiari scripto innocentiam suam tueri debuerit.

num 1618., quo finem vivendi fecit, ipse Lani mortis suae praesagus commode satis et eleganter expressit:

ELIAS LANI DIE QUINTA NOVEMBRIS OBIT.

Funus tanto viro Bitschae pro dignitate adparatum fuit. Uti enim omnes, nec si .c. ratione, praematurum ejus obitum lacrymis deplorabant, ita nihil neglectum erat prorsus, quod ad honestatem funeris quoquo modo videbatur pertinere. Nam non tantum in area Ven. Stephanus Kruspierius *k)* Ujhelyiensis ad Kiszuczam Pastor, sed etiam Sum. Rever. Superintendens Isaacus Abrahamides in templo Bitschensi sacra faciebat, quo et virtuti Lanianae sua constet integritas, et moestis supersint solatia, valitura ad posteritatem. Exangve corpus ejus majori templo Bitschensi illatum, ibidemque ad mediam januam templi e regione scholae tumulo impositum beatam fidelium resurrectionem praestolatur. Monumentum ei, ut sciant posterius, tale positum fuit: 1. Reg. XIX. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. Admodum Reverendo et Excellenti Viro Domino Eliae Lani Antistiti Ecclesiae Bitschensis et Comit. Trenchiniensis, Liptoviensis et Arvensis Superintendenti primum creato, qui ex hac vita placide in Christo emigravit An. 1618. die 5. Novembris, aetatis 48. positum ab haeredibus. Dicitur non potest, quam profunde exteri quoque doluerint, egregium hunc emendatae religionis vindicem, opinione citius vitam cum morte commutasse. Certe Balthas. Meisnerus, magnus Saxoniae Theologus ita mortuo parentabat:

De Lanio ergo nihil nisi mortua prostat imago:

Flete Pii, occumbit stella, columna ruit

Hungariam rogata, quae conquire clamitat unde

Hoc Lanio veniet doctior et melior.

k) Stephanus Kruspierius patria Varboviensis, non solum in scholis Hungariae, sed etiam an. 1596. Wittembergae studuit et redux scholae Solnensis Rector factus est. Post sexennium An. 1607. ecclesiae Ujhelyiensis ad Kiszuczam Pastor constitutus, annis XLVII. eidem praefuit et in Vener. Contubernio Trenchiniensi Notarii et Senioris officium cum laude administravit, atque tandem anno 1654. aetatis et laborum satur, finem vivendi fecit.

M. Johannes Hodikius.

Ecclesiae Trenchiniensis Pastor fidelissimus, omni mea praedicatione superior. Hic magno Ecclesiae Evangelicae commodo in Inc. Comitatu Thuroczyensi, patre Rev. Balthasare Hodikio Pastore Totpronensi, matre Veronica natus, a primis statim pueritiae annis ita studiis animum adplicuit, ut divinarent non pauci, eum in posterum non vulgare rebus Evangelicis decus allaturum. Praeceptorem sibi haud incogitate delegerat, virum regendis formandisque ingeniis aptissimum, Paullum Malus *a)* alias Jablonovszky scholae Galgotziensis *b)* Rectorem, cui ne qua desultoria levitate egisse videretur, continuo 8. annis adhaesit et inter tacitos Musarum recessus ita in omni studiorum genere excultus fuit, ut arbitrio Superiorum apud Galgotzienses provinciam Con- Rectoris per biennium magna cum nominis sui commendatione obierit. Haec dum fiunt, Illustris Comes Stanislaus Thurzo *c)*, egregius ingenuorum censor, Hodikum nostrum, ampliandorum studiorum causa, Wittembergam ablegat et sumtibus ad transigendam cum utilitate vitam Academicam, pro sua in litteras benevolentia, liberaliter instruit, cui Hodikius gratum pro beneficiis animum declaraturus, inscripsit Partitionum Theologicarum Disputationem V. de Angelis, quam sub praesidio Jacobi Martini Wittembergae Anno 1611. cum laude tuitus est. Tempus omne apud externos ita exegit, ut expectationi Majorum egregie responderet et post biennium praemii loco gradum Magisterii consequeretur. Redux in patriam non Sempthensi tantum, sed Bitschensi etiam scholae tanta cum laude praefuit, ut postquam coetui Divékiensi sua probavisset officia, An. 1614. omnium suffragiis ad regendam amplissimam Trenchiniensium ecclesiam fuerit vocatus. Dici satis non potest, quanta cum dexteritate commisso sibigregi praefuerit, vir et emendatae religionis, nec non

a) De Paulo Malus videri potest p. 11.

b) Schola Galgóczyensis, quae sub initium Seculi superioris egregie floruit, benevolentia Illustris gentis Thurzonianae, imprimis Com. Stanislai Thurzo, insigni purioris Dei coetus commodo, sustentata fuit.

c) Comitem Stanislaum Thurzo Proregem Hungariae laudavit ad posteritatem M. Elias Ursinus Igloviensis Pastor, et M. Petrus Zabelerus Superintendentens in sermonibus funebribus Cassoviae An. 1626. editis.

disciplinae ecclesiasticae multo studiosissimus et ad res cum utilitate gerendas, longiori rerum usu, haud vulgariter exercitatus. Inde, ut cum ratione opinari licet, factum est, quod mortuo Sum. Ven. Elia Lani hic unus omnium dignus fuerit aestimatus, qui reliquis titulo Superintendentis praeficiatur. Illustrissimus enim Comes Emericus Thurzo *d)*, magni Herois non degener filius, collatis cum Casp. Illyesházy consiliis, Synodum Trenchinii convenire jubet, in qua post multas variasque consultationes in Arce Trenchiniensi institutas, Hodikius communi omnium sententia Superintendens electus *e)* et 27. Januarii An. 1619. in superiori Trenchiniensium templo a Sum. Rev. Isaaco Abrahamide et Samuele Melikio Superintendentibus ritu solenni consecratus fuit. Eodem anno ex sententia C. Emerici Thurzo stationem Trenchiniensem cum Bitschensi commutavit et magna animi contentione hoc egit, ut omnes honi Superintendentis partes inplevisse videatur. Certe primus hic, quod scio, titulum Reverendissimi in Ecclesiis Evangelicis reportavit. Non cessit ei tamen feliciter, quod eventus probavit, subita illa stationis mutatio. Nam postquam C. Emericus Thurzo praeter omnem expectationem finem vivendi fecisset, Heros, si quid vota valuissent, multo longiore vita dignus, et Hodikius oblata sibi occasione in Arce Bitschensi die 27. Dec. 1627. cum Illustrissimo C. Nicolao Eszterházy, Regni Hungariae Prorege et Patre Matthia Hajnal S. J. de quibusdam controversis doctrinae Christianae Capitibus colloquutus fuisset, idemque colloquium in litteras relatam *f)* non satis prudenter cum aliis communicavisset, ab Illust. Comite 1628. Bitscha exturbatus *g)* mutationis suae rationes sero damna-

d) C. Emericum Thurzo, qui, dum in Saxonia commoraretur, Universitatis Wittembergensis Rectorem egit, vivum adhuc Balthasar Meisnerus in Dedicazione Anthropologiae Sacrae, mortuum vero Hodikius noster collaudavit.

e) Numerabantur eo tempore inter Candidatos Nicolaus Baticius, Eccl. Velicsnensis apud Arvenses Pastor, olim adhuc in Synodo Solnensi in hunc censum relatus, Sam. Paulinus inferioris Districtus Trenchiniensis Senior et Steph. Kruspiarius Ujhelyiensis ad Kiszuczam Pastor.

f) Possideo in exigua Supellectili mea libraria Delineationem Colloquii illius et quidem propria Hodikii nostri manu consignatam, ubi non tantum occasionem colloquii, sed et capita doctrinae, de quibus actum fuit, breviter quidem, sed magna cum adcuracione describit.

g) Insimulabatur Hodikius scripti alicujus ad instar Comoediae editi, in quo Ill. Proregem tacite traduxerit, quo audito Ill. Comes tantam concepit

re coepit. Redierat quidem iterum omnium auditorum sententia priori stationi admotus, sed cum non sine ratione tutiora praesidia circumspiceret, Dei et Casp. Illyésházy providentia Trenchiniensibus restitutus fuit *h*). De eruditione et laboribus magni hujus Viri ex scriptis conjicias, quae non sine prolixo Sanctioris Reipublicae commodo posteritati consecravit. Scripsit enim Stateram Dissertationis, quam Illust. Cardinalis Pázmán evulgari curavit, *i*) ne quid de minoribus ejus scriptis, quae non pauca sunt, hac vice adjiciam *k*). Veritatis Evangelicae multo fuit studiosissimus et fratres, qui ei suspecti videbantur, diligentissime observabat. Hinc Philip. Hrubecium Moravum Pastorem Chotessoviensem in Synodo Beszterczeni An. 1635. 8. Martii Calvinismi convictum, cum universo Ven. Contubernio Trenchiniensi loco movendum esse deliberavit, nisi publice omnia, quorum suspectus habebatur, ex animo revocare fuerit paratus. Imo Hrubecius multo acerbius fuisset punitus, ni Magnificus Simon Balassa benevola sua intercessione mitiora eidem procurasset. Filios reliquit duos, ex quibus Alexander Hodikius Trenchinii natus, Rostochii A. 1636 sub directione Joh. Quistorpii et praesidio M. Abrahami Calovii de coena Domini cum laude disputavit et post reditum Rector Gymnasii Banoviczensis factus, elegantem Disputationem de Certitudine Scripturae Sacrae et ordine in Ecclesia Lutherana, An. 1641. conscripsit *l*). Fratres Superintendenti nostro

indignationem, ut ei medio Perill. Mich. Nedeczky et Andreae Révay significarit, nisi intra 15. dies Bitscha excesserit, eum acerbiora quaeque experturum. Qui collato cum iis, quorum intererat, negotio, maluit relicto ibidem Diacono periculum personae suae intentatum prudenter declinare, quam universam ecclesiam Bitschensem in praesentissimum discrimen conjicere.

h) C. Casparus Illyésházy egregius rei Evangelicae adsertor, pro sua singulari prudentia et in litteratos amore, malo huic occurrurus, Johannem Lycium Trnovicensem, Ecclesiae Trenchiniensis Pastorem et Ven. Contubernii inferioris Districtus Seniore Dubnicium evocavit, quo Superintendens Hodikius in ejus locum transferri et utroque officio cum emolumento defungi queat.

i) Prodiit Statera haec Barthae anno 1632. in IV. litteris Jacobi Hlötz, Illustri Comiti Casp. Illyésházy dedicata, quem Hodikius, uti meruerat, Patriae insigne columen et Ministrorum fautorem et defensorem appellavit.

k) Sunt apud multos sermones ejus funebres diversis occasionibus habiti Trenchinii in VIII. impressi, quos tamen hic tacuisse nullum est famae tanti viri dispendium.

l) Tuitus est disputationem illam Andreas Titkonides post in ecclesia Hajensi apud Thuroczianses Pastor.

fuertant Isaacus et Daniel, ille Banoviczensis, hic Radvanensis Ecclesiae Minister, quibus Alexander Hodikius Dissertationem suam Rostochii defensam dedicavit, eosdemque Patruos suos aetate honorandos appellavit. Hi cum Jona Hodikio Pastore Trenchiniensi, aut ejusdem nominis filio Rectore Illaviensi, Ministro demum Ugroczeni, cujus Pilarik in Curru Jehovae mirabili tanquam sui generi meminit *m*), quod persaepe fieri solet, confundi non debent. Tandem vigiliis continuisque laboribus fatigatus An. 1642. die 23. Febr. beate in Domino vitam cum morte commutavit et in praesentia multorum Magnatum, Nobilium et Ven. Ministerii 16. Mensis Martii Trenchinii solenni funere elatus est, relictis cum conjuge 2. filiis totidemque filiabus, optimum patrem acerbissime desentibus, postquam vix annos 57. complisset. Ita enim in honoribus ejus Exequialibus Trenchinii in officina Dorotheae Vocalii eodem anno in IV. editis et C. Casparo Illyésházy dedicatis ad posteritatem scriptum est :

Septimus ut rediit lustris bis quinque peractis
Annus in hoc tumulo condidit exuvias.

M. Zacharias Lani.

Quod Horatius Poetarum facile princeps lib. III. Oda 14. memoriae prodidit, fortes creari fortibus, nec imbellem feroces progenerare aquilas columbam : hoc in M. Zacharia Lani impletum fuisse, nemo facile ibit inficias, qui sive patris, quo natus erat, sive vitae ejus cum ratione meminerit. Fuit enim Eliae Lanii primi Evangelicorum Superintendentis filius, in Incl. Comitatu Thuroczeni natus. Ex voto majorum in diversis scholis patriae melioribus litteris egregie percultus, apud Wittembergenses eadem confirmavit et Disputationem III. de Actionibus humanis, quam sub Jacobo Martiny cum laude defenderat et Illust. C. Casp. Illyésházy, cujus se Alumnum profitetur, et Ven. Patri suo dedicaverat. Dum titulo Magistri insignis in patriam feliciter rediisset, circa An. 1622.

m) Videsis Stephani Pilarikii Currum Jehovae mirabilem Wittembergae Anno 1608. in IV. editum p. 12. et 80. et Davidis Czuittingeri Specimen Hungariae Litteratae p. 100.

Bitschae bis, dein Trenchinii, ac ultimo Banovicium a) tanta cum dexteritate scholis praefuit, ut eum Joh. Rezik, vir ad omnem posteritatem commendandus, optimum Praeceptorem suum appellare fuerit solitus. Nec aliis incognita fuit Zachariae nostri eruditio cum magna vitae integritate conjuncta. Nam Nedvirium vocatus an. 1629. die 6. Oct. ordines sacros suscepit remque divinam tanto zelo egit, ut in eo patrem redivivum omnes boni venerarentur admirarenturque. Vág-Beszterczyenses quoque an. 1633. ad se devotum, ab ejus ore ad an. 1636: non sine eximia utilitate pendebant. Banovicenses profecto horum omnium optime conscii non prius quieverunt, quam cum 1636. Pastorem consequerentur, ubi tanta cum diligentia commissam sibi provinciam administravit, ut meruerit in posterum Ven. Contubernii Gradnensis Senior appellari. Desciverat eo tempore a sacris Evangelicis M. Johan. Kircherus b), Banovicensis primum, dein Neosoliensis scholae Rector et causas subitae illius mutationis orbi redditurus, conscripsit Aetiologiam, quam M. Zacharias Lani Superintendens noster in Strigili Aetiologiae Kircherianae c), ita perstrinxit, ut omnium bonorum expectationi respondisse crederetur. His et multis aliis litterato orbi Hungarico commendatus, statim ac M. Johan. Hodikius fuisset sepultus, in Conventu Trenchiniensi, cui multi Magnatum, Nobilium et Ministrorum intererant, communi sententia a Joachimo Kalinkio Illavensium Pastore ex suggestu Superintendens declaratus et 17.

a) Scholam Evangelicam Banovicium non erexerunt tantum, sed sustentant etiam illust. Comites Illyesházii, ex quibus princeps fere fuit C. Casp. Illyesházy, quem Superintendens noster in Praefatione Strigilis Kircheriani Gymnasii hujus Conditorum et Defensorem appellat, ne quid de Catharina Pálffy adjiciam, quae amplam fundationem in Protocollo Superintendentali, ut sciant posteri, consignatam pro schola hac ordinaverat.

b) M. Joh. Kircherus patria fuit Tübingensis, qui relicta ibidem uxore in Hungariam delatus, fit Banovicium atque demum Neosolii scholae Rector, vir doctus et ad informandam juventutem satis idoneus. Hujus Aetiologiam praeter Dorschaeum in Hodogetico Catholico Argentorati 1691. edito, Bebelium in Antivanquerecio 1682. impresso, discipuli quondam ejus, Paulus et Adamus Kyss, Paulus Lochmannus Thuroczyensis et Samuel Csernak Babotensis in Examine Aetiologiae Kircherianae sub Calovio Regiomonti Anno 1642. haud infeliciter confutarunt.

c) Editus est Strigilis Lanii nostri impensis Comit. Caspari Illyesházy, An. 1641. in IV.

Martii an. 1642. a M. Gregorio Lani Superintendente fratre suo inauguratus fuit. Hoc dolebant Banovicenses, quod tam caro et fidei pastore carere in posterum habuerint necesse. Postquam enim Superintendens renunciatus fuisset, ad regendam ecclesiam Trenchiniensem translatus est. Hic inter tot tantosque labores, quibus utriusve officii sedula procuratione distinebatur, magna omnium adprobatione edidit librum multo elegantissimum Illust. C. Casparo Illyésházy dedicatum sub titulo: Pseudo-Spiritus Poseniensis, cui accessit Dissipatio Luciferi contra Thomam Belavium d), ut vel ex libris ejus, qui supersunt, aestimare liceat, quam egregie utroque officio fuerit defunctus. In uxorem adsciverat sibi Ven. Jacobi Splenii Pastoris Rosembergensis filiam Magdalenam, ex qua ei filius Zacharias natus fuit e). Doluerunt profecto non pauci, quibus ille propius innotuerat, eum officio Superintendentis brevi admodum tempore praefuisse. Vix enim triennium abierat, anno 1645. ultimo die festo Paschali beate in Domino obdormivit. Illustrissimus C. Casparus Illyésházy virum hunc etiam post fata sibi carum, non tantum solenni funere Dominica Misericordias eferri curavit; sed etiam ipse cum universa domo illustri sua, potioribus Nobilibus et toto Ven. Contubernio Trenchiniensi deductioni funeris interfuit. De vita Zachariae, quam pietas, modestia et candor ut quamplurimum commendabant, vel hinc arbitreris, quod Joachimus Kalinkius Illaviensium Pastor, sacer pro rostris funebribus orator, ex verbis Salvatoris: Ecce vere Israelita iste, in quo non est dolus Joh. 1, 48. docte non minus, quam ex vero peroraverit, eumque tamquam genuinum inculpatae vitae exemplar toti, quaqua late patebat, Ministerio commendaverit, dignum immortalitate nomen, nulla unquam ratione obliterandum.

d) Prodiit liber hic multo utilissimus Trenchinii An. 1643.

e) Hic Zacharias Lani Superintendentis nostri filius, ultimus fuit scholae Banovicensis Rector, qui cum Verbi divini Ministris et reliquis scholae civibus armata manu exturbatus scenam scholae hujus clausit, nec ullum unquam tempus eam Evangelicis amplius reseravit. Dum egrederentur, juvenis hymnum: Dominus me regit etc. decantabat et populus copiosis lacrymis euntes comitabatur, Ministri vero non minus suos, quam civium animos verbo Christi: beati estis, quando odio vos habebunt homines, confirmarunt.

Joachimus Kalinkius.

Ecclesiae Illaviensium Pastor multo fidelissimus. Pater ei fuit reverenda dignitate insignis Joh. Kalinka *a)* Ecclesiae Teplensis Minister et Ven. Contubernii Notarius, mater autem Fides, Rev. condam Leonhardi Mokosschini, Poetae, dum viveret, multo celeberrimi filia. Optimi parentes filium, studiis dedicatum clarissimis quibusque praeceptoribus tradiderunt erudiendum, cum et in litteras propenderet et spem futurorum profectuum haud dubiam facere videretur. Nec fefellit expectationem indoles fideli praeceptorum institutione perpolita. Postquam enim Cremnicii et Bitschae studuisset, non tantum Banovicii, sed Eperjesini quoque studia confirmavit et primum Radvanii Cantor, dein florentissimae Rosenbergensium scholae Rector, et paucum post tempus ejusdem ecclesiae Diaconus fuit constitutus. Hic ea cum dexteritate sacris praefuit, ut divina dispositione et accedente populi consensu, primum Gradnam, dein Rajeczium vocaretur, provinciam Pastoris consveta fidelitate administraturus. Rara ejus in docendo felicitas ita ei Inclytam gentem Ostrosithianam conciliavit, ut ex Stephani sententia *b)* Illaviam accitus haud interrupta serie annis XXX. magna cum fidelitate sacris Illaviensium praefuerit. Certe ita hic

a) Joh. Kalinka Rosenbergae ann. 1586. natus, primum Teplensis, dein Radvanensis, postremo Duboviensis ad Granum Minister et Contubernii Sogliensis Senior, in Comitibus Neosogliensibus an. 1620. Poeta Laureatus constitutus et equestri dignitate ornatus fuit. Conscripsit Carmen sibi Cygneum Trenchinii an. 1638. impressum, atque demum an. 1640. Neosogli in exilio mortuus est. Ordinibus sacris Brigae susceptis, redux in patriam substitit Scotaoviae ab ejusque ecclesiae V. D. M. Daniele Mendricio Teschiniensi 1601. nonis Augusti dono accepit Commentarium Aegidii Hunii in Evangelium D. Johannis Francf. ad Moenum impress. 1595. in 8.

b) Steph. Ostrosith fuit frater Johannis illius, quem Kalinkius noster in Lemmate funereo a. 1637- producto Baronem religiosum, nec non in arte Palladis exercitatissimum appellavit, et felicissimus trium filiorum pater, Nicolai, Pauli et Matthiae, quos ex arbitrio optimi parentis litteratissimus ille Matthias Gazur Thurocziensis educavit. De Matthia, litterarum litteratorumque fautore munificentissimo videri potest Stephanus Pilarik in Curru Jehovae Mirabili p. 67. sequ. De Paulo ita praeceptor ejus Matthias Gazur in Carmine funebri judicabat:

Si quis erat sagax, solers, discretus, acutus,

Ostrosith a Ghyletincz Paullus hic alter erat.

commissas sibi partes obibat Kalinkius, ut mortuo M. Zacharia Lani Superintendente, in Conventu Banovicensi sub praesidio Illustr. Casparis Illyésházy An. 1646. instituto, communibus suffragiis; successor ejus denominaretur, a M. Gregorio Lani Brisnensi et Daniele Dubravio Szenicensi Antistite 15. Febr. in templo Banovicensi renunciatus Superintendens. Quanta cum diligentia officio huic praefuerit, prolixum foret recensere. Nihil enim neglexit eorum, quae ad ampliandas res Evangelicas pertinere existimabat. Nam non solum Syncretismo, tacite in patria serpenti, serio restitit, utque idem in universo Districtu suo observetur, Seniores Ven. Contuberniorum admonuit; sed etiam domicilia litterarum, quaecunque fieri poterat ratione, ampliavit. Profecto, si quis unquam Collegii, quod Eperjesini an. 1666. excitatum fuit, diligentem rationem habere visus est, Kalinkius id praestitit luculentissime. Praeterquam quod enim an. 1669. 8. Dec. cum reliquis Superintendentibus, rationem promovendi Collegii initurus, Tótpronae apud Thuroczienses convenerit: etiam Ven. Contubernium Trenchiniense 5. Febr. an. 1670. Solnae congregatum per litteras multis verbis obtestatus est, ne sacro huic pietatis officio deesse videantur, quod ei M. Martinus Tarnocius *c)* quoque in partem laudis transscribere veritus non fuit. In condendis hymnis, et iis quidem utilissimis, non tantum facilis erat, sed etiam ultra, quam quis arbitrari queat, adcuratus, quod vel ex eo unico hymno facili admodum opera conjici potest, quem initialibus litteris Nicolao, Paulo et Matthiae Osztrosith magna cum pietate dedicavit *d)* Pro concione tanta cum suavitate perorare solitus est, ut non pauci Magnates ab erudito ejus ore pendere non minus pulchrum, quam utile esse fuerint arbitrati. Certe egregius ille rei Evangelicae vindex Casp. Illyésházy, trium Comitatum Trenchiniensis, Liptoviensis et Arvensis Supremus Comes, ita Kalinkio delectabatur, ut non tantum in arce, quam incoluit, sed etiam in castris et publicis Regni Comitibus eodem oratore sacro fuerit usus. Uti enim in dicendo facundus, ita in scribendo planus fuit; quod Lemma funereum in Exequiis Magnifici Domini Joh. Osztrosith de Ghyletincz an. 1637. productum palam

c) Vid. M. Martin. Tarnocius in Threnographia Prosapiae Kalinkianae.

d) Videri potest Cythara Sanctorum Transicii editionis Lipsiensis anno 1786. p. 484.

fecit. Conscripserat quoque Catechesin slavonicam, quae tamen publici juris fieri non potuit, partim quod sumtus ad imprimendum necessarii defuerint, partim quod multi praestantes viri et quidem non sine ratione iudicaverint, consultum non esse, ut nova talium libellorum editione animi discentium conturbentur. Hoc ei a multis, nec sine causa, in vitio ponebatur, quod tempore decennalis illius Ecclesiae divexationis Posonium cum genero suo M. Martino Tarnocio aequae Superintendentente et 38. Ministris Evangelicis citatus, in exilium consenserit. Excusabat quidem eum Tarnocius e) multis verbis eo nomine, quod Dresdam delatus miseris captivis consultum voluerit, sed multo alias evenit, quam opinabatur Kalinkius. Nam etsi Serenissimus Saxoniae Elector Georgius II. pro eodem et Tarnocio apud Augustissimum Imp. Leopoldum intercesserit: Zittaviae tamen an. 1678. in exilio mori debuit, ibidem 19. Junii ritu christiano sepultus. Sacra in funere faciebat M. Michael Schultzius, ecclesiae germanicae Minister, ex 2 Timoth. IV. 7. 8., quem textum vivus sibi delegerat. Filium praeter Danielelem reliquerat M. Zachariam Kalinkium f), Prividiae primum Rectorem et dein apud Cassenses V. D. ministrum multo fidelissimum. De duplici ejus conjugue et filiabus, quas genuit, reliquis item fatis Kalinkii videri potest M. Martini Tarnocii Superintendentis Threnographia Prosapiae Kalinkianae Zittaviae an. 1678 edita, sed, ne quid dissimulem, penna admodum tumultuaria conscripta g). Hoc ad laudem

e) Cf. Tarnocii Threnographiam Prosapiae Kalinkianae.

f) M. Zacharias Kalinkius Pastor Cassensis 12 Martii an. 1656. beate in Domino mortuus est. Huic Matthias Gazur Inclytae Aulae Ostrosithianae familiaris erexit Mnema funereum Vener. Patri ejus Joachimo Kalinkio dedicatum. Hinc patet virum fuisse doctum et lingvarum peritissimum. Nam praeter slavonicum idioma :

Haebreo, Grajo, Romano Teutonicoque
Nec non Hungarico calluit ore loqui.

Hoc dolebant non pauci, quod brevem ei vitae usuram concesserint Superi. Nam ita de his inter reliqua loquitur Gazurius :

Viginti septem plene non attigit annos:
Demtus namque dies unus et alter iis.

Cf. si placet Mnema illud a Gazurio posteritati relictum.

g) Tumultuaria penna conscriptam esse Threnographiam Tarnocii vel hinc existimes velim, quod eam non posteritati, sed eo tempore viventibus scripsisse videatur. Praeterquam enim, quod summa rei capita omnibus tum

Kalinkij satis est, quod vir fuerit in commune utilis, viris etiam principibus carus et multo meliore, quam usus est, fortuna dignus ^h).

Caput II

d e

Superintendentibus Ecclesiarum in Inclytis
Comitatibus Thurocziensi, Soliensi, Hontensi et
Neogradiensi.

Inter hos omnium primus erat

Samuel Melikius

Ecclesiae Briznensis Pastor omnium confessione vigilantissimus. Natus erat Patre Salamone Melikio, Rectore Szentivanensi et demum Pastore Vazecensi, ut frater ejus Andreas ^a) in Indice ordinatorum M. Petri Zabeleri ad an. 1634. confitetur. Continuatis feliciter studiis scholae primum Liptsa-Zoliensi et deinde Briznensi Rector datus ita commendato sibi officio Briznae cum Notarii munere conjuncto praefuit, ut sequenti demum tempore ecclesiae ejusdem primum Diaconus a Rev. Andrea Szoczovino Thurocziensi Pastore, ad id munus adsumptus et Witebergae 1579. die 2. Julii initiatus ordinibus sacris, et postea Pastor fuerit constitutus, postquam provinciam scholae Alexandro Szoczovino ^b) commendavisset. Certe jam anno 1595. Bznae officio Pastoris functus fuit et pro fratre

ri

cognita, brevibus attingit, etiam seriem annorum, quae hic vel maxime necessaria erat, prorsus negligit et lacrymis magis, quam penna socero suo parentat, si quid divinando adsequor, justo dolore et exilii calamitatibus non parum conturbatus.

^h) Plura de optimo Kalinka videsis in Joh. Burii Micis amicis p. 51., 52., 61., 67., 71., 72., 73., 75.

^a) Andreas Melikius fuit Olckmariensis, Olsnensis et Plaunicensis Rector et dein Scheenvisiensis Minister an. 1634. ordinatus.

^b) Alexander Szoczovinus Briznae natus a patria Genitoris Andreae Szoczovia Provinciae Thurocziensis pago ita appellatus. In diversis Hungariae scholis Rectorem egit, ubi dum operam suam egregie probavisset, Minister factus, Synodo Solnensi an. 1610. qua Prividiensis Pastor interfuit et se-

suo Jeremia Melikio Coronobaniensi Pastore c) apud Ven. Contubernium Gömöriense intercessit. Quanta cum dexteritate provinciam illam Briznae sibi commissam administraverit, non habeo dicere. Nisi enim virum eruditio et vitae integritas commendasset, vix unquam tot tantorumque Ministrorum Antistes fuisset ordinatus. Palam enim est, eum rebus praeclare gestis, dignum fuisse visum, qui in solenni illa Solnensi Synodo 1610. 4. Comitatum Superintendens renunciaretur. Vir fuit doctus et ordinis ecclesiastici observantissimus. Hinc montanae quoque Civitates ita eum observabant, ut nihil fere sine arbitrio ejus susciperent, quod sive ad prohibendas, sive ordinandas res ecclesiarum pertinere existimarent. Certe cum in Conventu Cremniciensi 14. Jun. 1612. celebrato Senior montanarum Civitatum eligi deberet, Melikius praesto fuit et pro sua prudentia hoc effecit, ut communibus Civitatum suffragiis M. Paulus Lentius eligeretur. Pari ratione in eo juxta cum reliquis Superintendentibus, quo annus emendatae religionis Evangelicae Jubileus 1617. pro dignitate celebrari queat, diligentissime elaboravit. Hinc Moschoviae in Districtu suo apud Ven. Matthiam Lochmannum, Contubernii Thurociensis Seniore die 27. Sept. cum reliquis Superintendentibus et I. Nobilitate hoc constituit, ut memoria haec secularis d) ea, qua fieri potest, devotione die ultima mensis Octobris absolvatur. Quanta id ipsum cum pietate peractum fuerit, hic loci recognoscere opus non est, cum nemo sit, qui non facili admodum negotio divinando adsequatur. De pietate Melikii, modestia et continuis, quibus distinebatur, laboribus, disserere nihil attinet. Praeterquam enim, quod provinciam Pastoris apud Briznen-

quenti demum tempore Ujhelyini ad Vagum Praepositus constitutus, amplissimam stationem illam cum dignitate administravit.

Andreas Szoczovinus Alexandri pater Thurociensis fuit 1569. Neos Slavorum Concionator, 1575. Pastor Prividiensis et 1579. Briznensis Antistes.

c) Jeremias Melikio an. 1594. Coronobanensis et an. 1610. Ribnicensis Pastor, controversiam quandam an. 1595. intercessione Ven. fratris Samuel Melikii Briznensis Pastoris consopivit.

d) De Jubileo Evangelico 1617. celebrato videri potest Andreas Pragajus in Themate seculari Heidelbergae propugnato, ubi praeter multa alia, Proceres illos Hungariae, qui eam ob causam dies festos egerunt, bona fide percensuit. Meminit hujus Rev. P. Franciscus Kazy S. J. in Historia Hungariae Libr. II. p. 180. seq.

ses magna fidelitate administrabat: etiam officio Superintendentis integro decennio ita perfunctus est, ut omnes commissas sibi partes egregie impleverit. Filiam, quam habebat, Rev. Thomae Mokoschino e) elocavit et tandem aetatis laborumque satur, relicto sui desiderio anno 1620. beate in Domino mortuus est f) 29. Aug. et ultima ejusdem sepultus.

Melchior Rohatsius.

Non fuit ignota eruditis sub initium seculi superioris Rohatsiorum familia, propter eruditionem et res praeclare gestas haud vulgari fortunarum et dignitatis accessione subinde adaucta. Inter eos, quod scio, principe loco collocari meretur Superintendens noster, per omnes fere sanctoris ordinis gradus ad summum fastigium eluctatus. Primum enim absolutis feliciter studiis, sub initium seculi superioris Eperjesiensis scholae Rector factus *), de credita sibi juventute praeclarissime meritus est, quod ei in Indice Ordinatorum M. Petri Zabeleri Joh. Comnetenus a) in partem laudis transscribendum existimavit. Eperjesino singulari Dei providentia ad Liptovienses delatus, stationem Pastoris Liptschensis tantum cum dexteritate obibat, ut ab anno 1613. ad an. 1620. Venerabili Contubernio nominae Senioris praefuerit. Hic Briznam accitus Liptoviensibus 10. Novemb. anno 1620. valedicit et Melikio suffectus, anno statim sequente die 14. Martii communi omnium sententia Moschoviae in I. Comitatu Thurocziensi Superintendens renunci-

e) Thomas Mokoschinus fuit primum Briznae Diaconus, dein ad aedem Divo-Marianam in II. Comitatu Thurocziensi Verbi Divini Minister, dignus tanto socio gener.

f) Vid. Thomae Dorothicii Rosenbergs Diarium, opera Generos. Gabr. Valovicz Tarno-Thuroczensis exscriptum pag. 27.

*) An. 1616. die 12. Maii cum Florianus Duchon vocatus est ad exequias Spect. ac Magnificae Catharinae Palfy (G a m a u f j e g y z e t e).

a) Joh. Comnetenus Liptoviensis absoluto studiorum cursu primum ad aedem Divo-Marianam apud Liptovienses scholae Rector, dein Teuto-Liptschae collega, postremo scholae Turanensis moderator, atque demum Varanoviensis Pastor anno 1618. constitutus fuit. NB. Georg. Rohatsius Rector in Thurocz. Comitatu Vid. Iad. Ordinatorum per Martinum Vagnerum nro 82.

atur**). Virum fuisse eruditum et ad res cum auctoritate gerendas idoneum, vel hinc condiscas, quod tam amplissimis conditionibus fuerit admotus. Eo nomine infelix existimabatur, quod continue lucubrationibus morbos sibi attraxerit ita periculosos, ut omnem fere medicorum opem eluderent. Quamprimum enim post collatos sibi ordines ex I. Comitatu Thurocziensi rediisset, intensissimis doloribus colicis divexatus fuit adeo, ut nullam amplius spem ulterioris vitae sibi polliceri auderet, quamvis medicus Lentschoviensis et Anabaptisticus quidam omnem impenderint operam, quam ad redintegrandam ei valetudinem pertinere existimabant. Erat enim vir excellentissimorum donorum, sed sui multo amantissimus, quod ex litteris Andreae Carbonarii *b*), quae apud me sunt, demonstrari potest. Sustentabat utcunque debile corpusculum, usquedum an. 1622. *) saeviente lue contagiosa finem vivendi facere cogere-
tur *c*). Dicitur non potest, quam multi acerbe doluerint spem felicissimae directionis, quam Melchior pro sua prudentia indubie polliceri videbatur, praeter omnem expectationem decollatam fuisse. Inter tot tantasque afflictiones hoc eum vel maxime erigebat, quod

***) Anno 1621. die 21. Jan. in Congressu Vetusoliensi petiit locum in Ven. Contubernio Zoliensi et obtinuit.

An. 1621 die 5. Sept. interfuit exequiis Isaaci Abrahamides, cum M. Joanne Hodikio in templo Praepositurae Scepusiensis, et 6. Sept. cum M. Joh. Hodikio ordinavit Nicolaum Fidicinem, Rectorem scholae Galgocziensis, in Pastorem Galgocziensem (G a m a u f j e g y z e t e i).

b) Andreas Carbonarius fuit Martinopolitanus Pastor et Ven. Contubernii Thurocziensis Senior, qui die 9. Maii anno 1622. peculiaribus litteris Rev. Fratres hortatus est, ut pro Domino Superintendente aegerrime constituto Deum deprecentur, et addit inter alia, quae sequuntur: In hanc scholam crucis procul dubio Deus eum vocavit, ut in tanto officio humilior efficeretur, nec excellentia donorum supra modum efferretur.

*) Anno 1622. die 6. Jan. intererat exequiis Emerici Thurzo dixitque slavicum sermonem in templo arcis Arva. Vid. Gymnas. p. 15.

1622. 19. Jan. visitavit coetum Szucsanensem. Vide Protocollum Visitat. p. 82. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e i).

c) In Diario Thomae Dorotheicii Pastoris primum Rosenbergensis et deinde Zaskoviensis haec invenio: An. 1622. 19. Sept. Clar. et Doctiss. Vir Dominus Melchior Rohaczus Martinop. Pastor Ecclesiae Brixnensis, et Superintendens Ecclesiarum Solien., Thurocz., Neograd. vitam cum morte commutavit. Andreas vero Turius adjecit: eum anno et die eodem circa 1. horam pomeridianam, peste mortuum et 21. sepultum fuisse.

divino munere reliquerit filium Johannem Rohatsium scholae Briznensis Rectorem utilissimum, qui omnium sententia dictus fuit religiosus sine superstitione, sincerus sine simulatione et sine jactantia litteratus. Supersunt adhuc ex posteris non pauci, qui tamen ab ingenio majorum desciverunt reifamiliaris magis quam litteris addicti.

Petrus Sextius.

Perantiqua Sextiorum familia inter eas numerari potest, quae a primordiis fere emendatae Religionis Evangelicae continua serie sufficiebant viros diversarum ecclesiarum procuracione insignes a). Noster hic in I. Com. Gömörriensi natus patria fuit Nagy Szlabosensis vulgo Sesták appellatus, qui continuatis feliciter Pragae studiis fit a. 1595. Felső Sajóiensis, dein Oláhpatakiensis et postremo Csetnekiensis Pastor. Publicis commodis natus esse videbatur; hinc non tantum puriori coetui sibi commisso magna cum utilitate praefuit, sed etiam in Ven. Contubernio Gömörriensi Notarii, Consenioris, Senioris provinciam ita administrabat, ut sedula talium officiorum procuracione honestam nomini suo famam conciliaret. Certe anno 1620. Neosolium ad Comitata Regni cum Georgio Fabritio Alnoviensi Pastore et Ven. Contubernii Seniore missus, ita commissum sibi negotium fideliter egit, ut cognoverint non pauci, eum ad res cum utilitate gerendas multo esse aptissimum. Inde, ut opinor, factum est, quod eum non tantum Magnificus condam Georgius Széchy C. de Rimaszéch aulicum suum Concionatorem, sed etiam in ecclesiae Duboviensis, quae ad Granum est, Pastorem evocaverit. Mortuo Melchiore Rohatsio Superintendente, Sextius noster sub initium anni 1623. in Synodo Martinopolitana absens electus et Dominica demum Quinquagesimae a M. Johanne Hodikio Bitschae confirmatus fuit Superintendens b). Rebus ita constitutis stationem suam

a) In hunc censum retuleris familiam Lovcsanianam, Grelnertianam, Mokoschinianam, Petroviczianam, Serpilianam, Masnitianam, Pilarikianam, Babrukianam alias Czabanianam, Institorum.

b) Hoc ex litteris Andreae Carbonarii, Ven. Contubernii Thuroczienensis Senioris die Blasii an. 1623. publico nomine scriptis didici, quibus Ven. Contubernio tempus confirmationis electi Superintendentis significabat, et ut Dominica Seniores IV. Comitatum cum adjuncto sibi Decano confirmationi intersint, publico nomine exorabat.

Duboviensem cum Briznensi commutavit et quicquid erat officii, longo rerum usu praeparatus, magna cum dexteritate administravit. Hoc certe ei in laudem scribi debet, quod in definiendis casibus multo fuerit felicissimus. Hinc an. 1626. ex sententia Sigismundi Báthory per Georg. Fabritium Alnoviensem Pastorem et Ven. Contubernii Gömöriensis Seniore[m] evocatus, controversiam Rev. Leonhardi Kello Gömöriensis Ministri, homicidii accusati, cum reliquis Ven. Fraternitatum Senioribus c) eo nomine convocatis, pro sua prudentia ita revidit, ut cognoverint omnes, eum fuisse et veritatis et Ministerii longe studiosissimum. Si quis, Sextius profecto noster auditoribus suis carus fuit et acceptus, quod vel hoc argumento facile conjici potest, quod Oláhpátakienses an. 1615. vocationem ei ad dies vitae porrexissent d) et quo destinationes eorum pondus habeant, multis precibus apud Ven. Contubernium Gömöriense obtinere voluissent. Non alias in eum Briznenses propendebant, eo nomine ut quamplurimum infelices, quod utilissimo Ministerio ejus diutius frui non potuerint. Postquam enim ultra decennium officio Superintendentis proluxa cum utilitate fuisset defunctus, disposito prius ad beate moriendum animo, an. 1634. vitam cum morte commutavit et solenni funere elatus proemia fidelibus Ministris promissa in pace praestolatur, cum Petro Sextio primum Neosoliensi, dein an. 1684. Briznensi Pastore non confundendus. Noster enim jam in Domino obierat, cum Petrus ille Sextius apud Neosolienses claruisset. Dens Coetui Evangelico plures in posterum Sextios clementer largiatur.

c) Intererant Conventui in negotio Rev. Leonhardi Kello Ministri Gömöriensis ibidem an. 1637. mortui, praeter Ven. Superintendentem Petrum Sextium, Rev. Johannes Kalinkius, Pastor Radvanensis et Contubernii Soliensis Senior; Rev. Samuel Severini Pastor Nyustensis et Rev. Joh. Szmrtnikius Pastor Klenoczensis. Ex Reformatis adfuit Joh. Vajda Minister Pelsőcziensis, a Benedicto Szegedi Seniore suo, Pastore Szent Petrino missus.

d) Erat hoc seculo XVI. et sub initium seculi superioria in more, ut Ministri quoque Lutherano-Evangelici quotannis circa diem Georgii, in fastis Sacrum ecclesiis valedicere tenerentur, ex arbitrio auditorum, si iis ita videretur, dimittendi, vel ad ulteriora officia ecclesiae praestanda retinendi; hoc etsi non sine ratione a majoribus nostris sublatum sit, cum inde nonnisi confusiones orientur et absque despectu Ministerii esse non potuerit, tamen oportebat Sextium nostrum acceptum fuisse auditoribus, cum ad finem vitae, uti tunc erant tempora, ab ore ejus pendere voluerint.

M. Gregorius Lani.

Alter hic est primi Evangelicorum Superintendentis Eliae Lani filius, in hac Commentatione nostra eodem nomine commemorandus. In I. Comitatu Thurocziensi felici omine natus, postquam optimis praeceptoribus usus adolevisset, munificentia Proregis Hungariae C. Georgii Thurzo Witttembergae studia amplificavit et iis egregie percultus Rector scholae Bitschensis ad latus Ven. Patris constitutus fuit, quam tamen stationem cum Solnensi commutavit et de juventute Hungarica praeclare satis meritus est. Hinc providentia divina anno 1620. ad arcem Arvensem vocatus et Bitschae a M. Johan. Hodikio initiatus, solita cum dexteritate sacris praefuit, et post aliquot annos ad ecclesiam Heitsovicensem et dein Rajecensem delatus omnia Ministri Evangelici officia cum laude exequutus est. Hoc eum orbi litterato ignotum esse non posset, etsi vix sexennio coetui Rajecensi praefuerit: tamen an. 1634. ad Vetusolienses transiit et anno statim sequenti 1635. IV. Comitatum Superintendens constituitur, a M. Johan. Hodikio consecratus. Meminit ejus Stephanus Pilarik in Curru Jehovae mirabili a) et palam confitetur, se ab eodem ad Ministerium ecclesiae Ocsoviensis Vetusolii an. 1639. ordinatum esse. Briznenses, qui tres jam olim continua serie intra pomoeria civitatis suae foverant Superintendentes, non prius quieverunt, quam Gregorium Lani ad regendam ecclesiam suam vocatum Briznam transportarent, eumque quartum Superintendentem in gremio ecclesiae suae venerarentur. Huc delatus non tantum puritate doctrinae et vitae integritate, sed etiam diligenti utriusque officii administratione, tantam nominis sui celebritatem consecutus est, ut adhuc non sine laude sera ejus recordetur posteritas. Nam tantum abest, ut suo defuerit Districtui, ut aliis quoque, ubi se dabat occasio, prompte non minus, quam fideliter inserviret. Praeterquam enim quod salubrioribus consiliis opem ejus flagitantibus subveniebat, etiam M. Zachariam Lani fratrem suum et Joachimum Kalinkium renunciavit Superintendentes. Multi, nec sine ratione, eo nomine infelicem fuisse existimabant, quod filium reli-

a) Prodiit Witttembergae anno 1678. in IV. germanice, in quo fata Ecclesiae Evangelicae, imprimis autem suae, prolixè describit. Meminit Lanii nostri Cap. 3. p. 6.

querit Balthasarum, virum quidem doctum et ad res gerendas idoneum, sed animi ultra, quam reris, inquieti, quod multis modis testatus fuit, dum apud Csetnekienses provinciam Rectoris administraret, quod hic scrupulose admodum percensere opus non est. Hinc etsi Horatius ex vero adserere videatur, fortes creari fortibus: tamen saepe saepius verum esse solet illud Aelii Spartani, quod in vita Severi Imperatoris adnotavit ad posteritatem *b)*, neminem magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse *c)*. Quantum his optimus pater fuerit divexatus, dici satis non potest; nihil tamen neglexit eorum, quae ad reducendum in ordinem filium pertinere existimabat. Tandem laborum multitudine, molestiarum frequentia et morbis senio familiaribus non parum fatigatus an. 1651 Briznae vivere desiit, postquam provinciam Ministri in diversis ecclesiis 31. et officium Superintendentis 16. annis magna cum dexteritate administravisset.

Martinus Spetkius.

Superiori seculo gens Spetkiana haud vulgariter de rebus Evangelicis merebatur. Praeterquam enim quod Daniel Spetkius *a)* Sipikiensis Pastor, Ven. Contubernio Nagy Hontensi nomine Senioris praefuerit: etiam Georgius Spetkius *b)* copiosae juventuti apud Csetnekienses moderabatur. Noster Martinus, quantum ex icone ejus, quae Eperjesini apud amicos adservabatur, adparuit, natus erat Bajmoczii an. 1599. Praesidia vitae a melioribus litteris quaesiturus, ita omnem vitae suae rationem instituit, ut optimorum Ma-

b) Videatur, si placet, Aelii Spartani historia Augusta p. 301.

c) Id multis et haud vulgaribus exemplis demonstrari posset, si in rem vulgo notam exempla cumulare consultum esse videretur. Unicum addam ad posteritatem. M. Daniel Lani Galgocziensis Pastor, cui igneam illam veritatis Evangelicae Columnam debemus, vir eruditus, et propter praeclara in rem sanctiorem merita, omnium confessione immortalitate dignus, filium habebat ita degenerem, ut eum ab ignominia haud raro redimere fuerit coactus; ne quid de aliis pluribus hac vice adjiciam.

a) Daniel Spetkius sub titulo Senioris recensetur inter eos, qui tempore decennialis Ecclesiae Evang. divexationis ex I. Comitatu Nagy Hontensi anno 1673. Posonium fuerant citati.

b) Georgius Spetkius fuit Danielis filius, uti ipse in Disputatione de classibus rerum an. 1669. 81. Jul. edita confitetur.

gistrorum praeceptionibus in dies non doctior tantum, sed melior etiam redderetur. Hinc ad majora quaeque praeparatus principia laborum publicorum in dirigenda schola Zsernovicensi c) auspiciatus est, cui postquam fere per quinquennium cum exstanti fructu praefuisset, ejusdem ecclesiae Minister constitutus fuit. Hic ita versabatur, ut in sedula officii procuratione nemini secundus esse voluerit. Vix septennium abierat, ad amplissimam ecclesiam Bozokiensem translatus ita commissam sibi stationem defendit, ut Deo rebus suis propitio, post beatum M. Gregorii Lani obitum Tótprónae apud Thuroczyenses Superintendens IV. Comitatum an. 1652. die 10 Jan. fuerit renunciatus. Ad hanc dignitatem sublectus non descivit ab ingenio, sed uti semper alias laborum erat patientissimus: ita tum vel maxime confirmavit, nihil eum neglexisse unquam quod sive ad ordinandas, sive ad ampliandas res Evangelicorum pertinebat. Sunt ad manus meas, uti vulgo appellantur, Agenda, quibus Spetkius Superintendens usus fuit. Hinc ad oculum, quod dicimus, demonstrari potest, cum in ordinandis rebus ecclesiae fuisse multo diligentissimum. Statim enim, ac constitutus fuisset Superintendens, Ven. Contubernia directioni suae subjecta visitabat et non tantum Fratres ad diligentem officii administrationem, concordiam et vitae integritatem multis numero argumentis commonebat; sed etiam plurima sub gravi animadversione sanxit, publico ecclesiarum commodo d) inservitura. Nulli coetui, qui ejus operam postulabat, defuit unquam, sed in parte felicitatis collocabat, si qua ratione officia sua ei probare potuisset. Hinc non tantum in consecratione templi Alsó-Sztregoviensis e) 1. Nov. an. 1654. et

c) Ejus in schola Zsernovicensi discipulus erat Nicolaus Schlehikius Nagy-Tapoltsanensis a Rev. Nicolao Martini ad Diaconatum Bajmoczensem 1637. 2. Sept. ordinatus.

d) Huc retuleris constitutiones, quibus sanxit: baptismum in tertium diem differri non debere, copulas post occasum solis administrandas non esse, puerperas non extra templum, sed ad altare introduci oportere, nullas ferias ad preces vel meridiem, sed toto die celebrare debere, sermones sacros non ex Ethnicorum sententiis aut historiis profanis, sed verbo divino instituendos esse et quae plura sunt alia.

e) Consecratio templi Alsó-Sztregoviensis adnotante Spetkio ita peracta fuit: In magna Ministerii et I. Nobilitatis frequentia ex parocia cantando in templum itum est, ubi absoluto cantu Rev. Samuel Csernák de laudibus templorum et beneficiis patronorum ad aram dixit, dein Ven. Superintendens

Velkolomensis 4. Nov. ejusdem anni verba fecit, sed etiam in renovatione templi Báthensis 21. Febr. an. 1655. ita officio defunctus est, ut nihil ei ad decus et commendationem defuerit. In explorandis sacri Ministerii Candidatis adcurate versabatur et Seniorum in Districtu suo auctoritatem diligentissime tuitus est. Dictio ei in suggestu fuit vulgaris, sed ita comparata, ut et facile intelligeretur, et animos auditorum commoveret, quod vel ex unico sermone sacro, qui ad manus meas est, in obitum Mich. Bossani 26. Jan. an. 1653. instituto commonstrari potest *f*). In eo naturam accusare videbatur, quod haud raro intensissimis pedum doloribus divexaretur. Hinc etsi an. 1655. ipsis feriis Viridium eo malo divina providentia liberatus, pro praestitis sibi beneficiis publice Deo gratias egerit: tamen paucum post tempus non tam dierum, quam laborum satur anno aetatis 56. vitam cum morte commutavit, postquam sedulo annis tribus officium Superintendentis administrasset. Successorem nactus M. Josephum Danielis Schemniciensem, manu Joach. Kallinkii 1655. 14. Febr. ordinatum. Non erat pastor Bozokiensis, sed Diaconus quippe superstitis Spetkii ordinatus, qui festo Viridium, ut auctor dicit, concionabatur (*A z u t o l s ó p o n t, u g y l á t s z i k, m á s v a l a k i n e k j e g y z e t e*).

David Lani.

Ultimus hic ex clarissima familia Laniana Superintendens, tantum abest, ut a virtute majorum desciverit, ut eam tuitus sit potius et multis variisque modis amplificarit. Natus ille fuit in Inc. Comitatu Thurocziensi an. 1618. patre Ven. Daniele Lani, ecclesiae Hajensis Pastore fidelissimo et a primis pueritiae annis in scholis Moschoviensi, Banovicensi, Bitschensi et Posoniensi ita profecit, ut

ex Matth. XXI. 13. templum externum, internum et aeternum explicabat et continuatis oblationibus, quae tali occasione institui solebant, domesticus Pastor Joh. Fidicinis proluxa oratione Deo et Inc. Patronatui gratias egit et ut Deus templa Evangelica tueatur, magna cum religione precatus est.

f) Eleganti sermone illo funebri ex Gen. XV. 15. instituto ostendit Spetkii curam senum piorum divinam et inter reliqua Bossanio sub finem sermonis tale ad posteritatem fecit epitaphium:

Justitia atque fides, jacet hic constantia, virtus,
Consilium Procerum, nobilitatis apex.

dignus fuerit aestimatus, qui C. Casparis Illyésházy filio Georgio praeficeretur. Ita enim melioribus litteris se dedicaverat, ut avum suum Eliam Lani ^{a)}) et M. Zachariam atque Gregorium patruos ^{a)}) magna animi contentione aemularetur. Hac pertinaci sua diligentia hoc effecit, ut anno aetatis XXV. Rector scholae Prividiensis constitueretur ^{b)}), ubi ita ad superiora praeparatus fuit, ut in diversis demum ecclesiis exstanti cum utilitate sacrum Ministerium obierit. Primum enim Dobronae sacra administrabat et post annum ad Prividienses suos, pietatis et eruditionis Lanianae optime conscios delatus, toto quinquennio rebus ecclesiae ea cum laude praefuit, ut an. 1653. omnium consensu Briznensium Pastor fuerit constitutus. Vix tres abierant anni in Conventu Ludanensi sententia eorum, qui in partem curarum veniebant, Superintendens IV. Comitatum electus et an. 1656. a Joachimo Kalinkio, non sine indignatione C. Gabrielis Illyésházy ^{c)}) confirmatus fuit. Utramque stationem, in qua divina providentia collocatus erat, tanta cum dignitate tuitus est, ut omnes Ministri Evangelici et Superintendentis partes felicissime implevisse crederetur. Fuit enim omnium confessione in docendo adcuratus, in monitionibus apertus, in moribus gravis, integer invita, sincerus in religione, sedulus in omnibus officii partibus

*) Hallucinetur auctor. David nepos Eliae Superintendentis esse non potuit, anno quippe 1618. adeoque eodem, quo David lucem vidit, mortui. Deinde Elias 1618. non fuit Pastor Hajensis, sed Bitschensis, imo nunquam erat Hajensis Pastor. Ergo Daniel non erat filius Eliae, sed frater, ut perpetram perhibet auctor p. 17. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e)

a) De Elia, Zacharia et Gregorio Lani dictum in antecedentibus, quod satis est. Conferri potest p. 10., 21., seqq.

b) Hic disputavit David noster de Justitia Originali, respondente Illust. C. Georgio Illyésházy. Prodiit disputatio Trenchinii an. 1640. Comes iste Lanii nostri et Joh. Kucsera Rectoris Rosenbergensis institutione educatus, inscio optimo patre a sacris Evangelicis descivit et post ejus beatum obitum contracto aere alieno, cum idem exsolvere non posset, oppida et pagos Archiep. Georg. 8zelepcsényi resignat atque accepta parte pecuniae apud Moravos inglorius moritur.

c) Gabriel Illyésházy III. Comitis Casp. filius et Georgii frater. Anno 1650. a Religione Evangelica desciverat, sed agnito lapsu, elaborante pia conjuge Eva Széchi ad Evangelicos reversus an. 1651. feriis Thomae non sine lacrymis pignore salutis Coena Domini usus est; in agnita veritate fidelis Domino et constans, hoc, quod mortale erat, cum immortalitate commutavit. Cf. Steph. Pilarikii Currum Jehovae Mirabilem p. 18. seqq.

et luculentissimum Ministri Evangelici exemplar, uti causa sequuturæ posteritatis ab optimo collega ejus Johanne Simonide *d*) memoriae proditum est. In uxorem sibi adsciverat Helenam Sinapii *e*) præstantissimum sexus sui exemplar, eo nomine infelix, quod nulla ei superfuert conjugii solatia. Hoc tamen quicquid erat infelicitatis tanto fortius ferre videbatur, quanto certius praevidebat, instare sibi finem vitæ immutabili mortis lege terminandum. Hinc statim

d) Johannes Simonides fuit Rector Briznensis, Olaszini patre Rever. Paulo Simonide ibidem Archi-Diacono natus. Sub M. Joh. Bayero, Isaaco Zabano et D. Samuele Pomario ita profecit, ut M. Joh. Fabritio, Brizna Casoviam vocato, communi sententia sufficeretur. Continuis annis septem scholæ huic præfuit et postquam an. 1674. in Delegatorio Judicio Posoniensi ita dictis Reversalibus subscribere nolisset, post toleratam novem mensium in carceribus Leopoldopolitanis captivitatem a. 1675. 18. Mar. ipso vespere cum 35. adfectionum sociis, per Moraviam, Austriam, Styriam, Carnioliam, 6. Apr. Tergestum delatus est, ad triemes Neapolitanas deportandus, sed divina providentia 1. Maii ad Liserniam Italiae civitatem cum Rev. Tobia Masnatio elapsus, iterum 4. ejusdem mensis Capracottæ capitur et cum socio in carceres conjicitur, post 6. hebdomadas a mercatoribus Neapolitanis pretio liberatus. Neapoli procurante Georgio Veltz versus Romam, Florentiam, Venetias, hinc per Lombardiam, Rhetiam, Helvetiam in Sveviam venit et cum socio in Saxoniam delatus an. 1676. Wittenbergæ non tantum jus civitatis academicæ obtinuit, sed etiam ex liberalitate Universitatis aliquot mensibus substitit et Disputationem Theologiam de Collegio Apostolico Lutheranò sub D. Deutschmano cum laude tuitus est, nequid de Exule ejus Prædicamentali an. 1680. evulgato et Studio Catechetico semel atque iterum an. 1699., dum Briznae versaretur, litteris Sam. Breveri edito, adjiciam. Patriæ restitutus Neosolii Pastor slavorum factus non minorem tantum, sed majorem quoque Catechesin posteritati reliquit et rebus praeclare gestis circa an. 1708. aetatis et molestiarum satur in Domino mortuus est. Sepultus fuit in templo Neosoliensi majori, unde post novennium erutus simulac in oratorio evang. tumulo illatus fuisset, in cineres abiit, vir perpetua memoria dignus.

e) Helena hæc Rev. Mich. Sinapii filia, et Joh. Danielisque soror, femina pietate et patientia insignis, varia, dum viveret, fortuna usa fuit. Nam primum Davidi Lani, dein post ejus obitum Rev. Samueli Csernak apud Neosolienses slavorum Pastori, tandem Joh. Restiari Neosol. senatori, postremo Eliae Ladivero, Collegii Eperjesiensis Directori an. 1683. fide matrimonii conjuncta, atque demum 1684. aetatis 49. Eperjesini mortua et ministerio Rev. Joh. Andritji slavorum Pastoris ibidem sepulta fuit. Vide Carmen Daniel. Sinapii in obitum ejus elaboratum et Hiob Trusius, qui in Statua sua in Mnemosynen Exulum Lipsiæ an. 1687. erecta, sequentia de eadem memoriae prodidit:

Elias Ladiver tristatur morte maritæ

Quæ tres improlis sepelierat ante maritos.

ac morbis tentari coepisset, animo ad pietatem composito mortem intrepidus exspectabat et intra exquisitissimos dolores, non domesticos tantum, sed senatum quoque, qui ad visitandum eum venerat, multis verbis ab animo profectis, ad pietatem et constantiam hortabatur, neque profusis adstantium lacrymis moveri poterat, quin prius destinata perficeret *f*). Ita demum animo tranquillo inter devotissima adstantium suspiria 20. Apr. vivere desiit, vir pietate, eruditione et meritis in sanctiorem rempublicam multo clarissimus. Funus 5. Maji procurante Daniele Chmelio iudice Briznensi et universo senatu ejus tanto majori solennitate deductum est, quanto ampliora erant Lanii merita toti litterato orbi Hungarico ut quamplurimum conspicua. Ita vicit David, post tranquillam in sepulchro quietem, aeterna victoriae proemia, ab omnium hostium victore J. Christo reportaturus.

Georgius Zaboïnik *).

Ultimus hic fuit superiori seculo horum IV. Comitatum Superintendentens in Incl. Comitatu Thurocziensi, loco, ut reor, natali majori ex parte educatus. Continuatis feliciter studiis, per diversos stationum gradus, divina providentia eo ascenderat, ut non solum

f) In hanc rem conferri potest oratio funebris Joh. Simonides Rectoris Briznensis an. 1669. Leutschoviae edita.

*) Weszelo Nitriensis, patre Andrea Kossovitz M. Dorothea Gyurkovits natus, primum Johanne Hansovini, Rectore Verboviensi, dein Andrea Benzelio Chastensi, Francisco Litterati Prividiensi, ac Jonâ Hodikio Trenchianiensi praeceptoribus usus est. Inde primo Prividiam pro Cantore chori ecclesiastici, post Rectore scholae, legitima interveniente vocatione, designabatur. Quo in ludo litterario duobus plus minus annis cum tribus quadrantibus, pro concessa sibi divinitus facultate laboravit. Postea communibus ejusdem ecclesiae suffragiis et calculis, per Clar. et Rev. virum Dom. Georg. Hajskey sacrum ejusdem loci Ministrum cum annuentione etiam politici magistratus, signanter autem provisoris arcis Bajmocensis in diaconum electus et praeunte legitima vocatione per impositionem manuum Rev. et Clar. viri Dom. Nicolai Martini Superintendentis Inc. Comitatum Nitriens., Poson. et Barsiensis meritissimi, Rectore Dom. Nicolao Hrabovszky Vagyoczensis, Rev. Dom. Jona Piscatoris, Diacono, VágUjhelyiensi et Nicolao Marci Diacono eccl. Cseythens. ecclesiarum Ministris praesentibus Cseythae die 2. Febr. 1638. inauguratus. Qua occasione etiam Christianae Concordiae subscripsit. A. 1647. die 25. Jun. Ven. Contubernii Bajmocziens. qua Pastor Divékiensis subscri-

ecclesiae Bozokiensis Pastor, sed etiam IV. Comitatum Superintendens meruerit appellari, An. 1669. ritu Apostolico consecratus *) Mortuo Davide Lani Superintendente Joh. Sextius Carponensium Pastor hanc exspectabat quidem provinciam; sed alias multo evenit, quam sperabat, cum praeter omnem ejus exspectationem Lani quieti Zaboinikius fuerit suffectus, uti M. Georg. Gassitius Berzevicenus in Clypeo veritatis p. 102. posteritatis gratia adnotavit a). De eruditione et pietate viri inter multa alia vel hinc conjicias, quod plurimas preces et hymnos sacros reliquerit posteritati, quibus adhuc non sine proluxa utilitate fideles uti consueverunt b) Filium ejusdem nominis Georgium Zaboinik educavit, circa an. 1682. ecclesiae Aszodiensis Ministrum. Num hic ille sit, qui a Lampio in Historia Ecclesiae p. 809. inter apostatas tempore decennalis illius divexationis numeratur, non habeo dicere. In eam ego venio sententiam, Lampium, dum haec scriberet, incertae cuidam narrationi credidisse. Multa enim perplexa sunt et intricata, quae de viris persecutioni illi obnoxii in litteras relata fuerunt.

psit. At, qua Rector Prividiensis, A. 1635. postridie Dominicæ 22. Trinit. Ad annum vero 1655 diem vero 30. Sept. in Protocollo nominatur Decanus Ven. Contub. Bajmoczens. A. 1656. die 19. Jan. in Congregatione Szenogradiensis Generali, subscripsit legibus Ven. Contubernii Nagy Hontensis, qua Pastor Bozokiensis (Más valakinek jegyzete).

Qua Pastor Divék-Ujfalus. 1647. die 25. Junii legibus subscripsit. Fuit primum in Divék-Ujfalus Pastor. Vid. Micas amicas p. 59. (Más valakinek jegyzete).

*) 8. Dec. Tótrónæ inauguratus. Vid. Protoc. Lipt. p. 188. fac. b. 18. Dec. in Divék per Joach. Kalinka (Más valakinek jegyzete).

a) Ediderat M. Georgius Lani Rector Carponensis an. 1676. narrationem historicam Captivitatis suae, perstringens non sine ratione eos, qui captivitatem declinaturi in exilium subscripserant. Joh. Sextius, qui Vratislaviae morabatur, scripsit eodem anno Animadversiones in Narrationem M. Georgii Lanii, sed tanta animi impotentia, ut calumniari magis quam refellere Lanium videretur. Hinc M. Georg. Gassitius Wittembergae existens cum Christophoro Mazario 1677. edidit Clypeum veritatis, in quo Sextio et ejus complicitibus omnium confessione ex aequo satisfecit.

b) Steph. Franc. Harhoviensis in Scopusio Pastor et Fratrum Senior edidit Georgii Zaboinikii Superintendentis libellum preces et cantionum slavonice in forma 12. impensis Annae Ujfalussi, Gregorii Ujfalussi de Divék-Ujfalus filiae et Pauli Szeléni viduae. Prodiit Leutschoviae an. 1686. litteris Samuelis Breveri in 12. Conf. Cancionale Wadavi Kleychii edit. 1727. p. 49. in praefatione.

De Superintendente nostro hoc nulla ratione dici potest, cum ante tristia illa tempora in Domino obierit et famam emendationis fidei cum dignitate fuerit tuitus. Certe in Synodo Cseriensi, quae arbitrio Liberi B. Joh. Godofredi a Hellenbach in negotio eligendi Superintendentis an. 1704. coacta fuit, tam honesta ejus fit mentio, ut luculenta magis exspectari vix possit. Quod filium adinet, vix tam nobili coetui, qualis Aszodiensis erat, Pastor fuisset datus, nisi alieno ecclesiae tempore fidem constantiamque probavisset, aut a lapsu, si quis erat, solenni modo resipuisset. Brevis admodum erat Superintendenti nostro dignitatis hujus usura, et ea quidem multis difficultatibus obnoxia. Vix enim biennium abierat, a statione Bozokiensi deturbatus Carponae in exilio an. 1672. vitam finiit, vir pietate clarus, aetate gravis et multis in puriorem Dei coetam meritis insignis. Funus Carponae ita deductum fuit, ut nihil ad solennitatem defuerit quicquam. Praeterquam enim quod Ministerium exuli Superintendenti sua probavit officia: etiam cives et reliqui ejus olim directioni subjecti magna animi contentione pietatem testabantur. Ita vir in commune utilis ab exilio in patriam revocatus, hoc, quod mortale fuit, cum immortalitate commutavit.

Caput III

d e

Superintendentibus Ecclesiarum in I. Comitatus Posoniensi, Nitriensi et Barsiensi.

Hic principe loco commemorandus nobis est

Isaacus Abrahamides.

Ecclesiae Bajmoczensis Praepositus longe fidelissimus, aliter Abrahamfi dictus et a patria Hrochotius appellatus. Natus enim fuit in Incl. Comitatu Soliensi a) pago exili Hrochot dicto. Hinc verum est, quod Juvenalis Satyra VI. cum ratione existimavit:

a) Exstat ejus oratio latina in obitum Comitis Georgii Thurzo dicta, in qua se Vetusoliensem, sive in Comitatu Soliensi natum, confitetur. Superiori enim seculo Comitatus ille non tantum Soliensis, sed etiam, ad normam nomenclaturae slavonicae, Vetusoliensis promiscue appellabatur.

Summos posse viros, et magna exempla duros,
Verecum in patria, crassoque sub aere nasci.

Melioribus studiis et diligentissima officii procuratione, ita sub initium seculi superioris inclaruit, ut non tantum Bajmoczensis Praepositus, sed etiam in Synodo illa Solnensi 1610. celebrata, primus horum I. Comitatum Superintendens Evangelicis fuerit constitutus. Quam praeclare res suas administraverit, scrupulosius recognoscere opus non est. Vir enim fuit non minus eruditus, quam prudens et, quae rara Isaaci nostri laus est, multo eloquentissimus. Hinc non tantum in exequiis Illustrissimi condam Comitis Georgii Thurzo Proregis, cum Bitschae monumento 19. Febr. an. 1617. imponeretur, orationem latinam dixit, sed etiam Eliae Lani Superintendenti, Nicolao et Christophoro Thurzo Comitibus in obitum parentabat et ubique officio cum maxima nominis sui commendatione defunctus est. Hoc eum non parum adfligebat, quod mortua priore uxore, quae annis viginti et septem intra varios luctus marito adhaeserat, aetate jam gravis de novo matrimonio cogitare habuerit necessum. An. enim 1619. virginem Apolloniam Reichartianam Passaviensem in conjugem sibi adsciverat, Sintaviae Dominica Exaudi copulatam, sed brevis ei admodum fuit felicissimi hujus conjugii possessio. Nam anno statim 1621. non sine maximo multorum dolore vitae hujus cursum, integritate et meritis insignem continuavit, uti Zavodszkius in Diario suo ad hunc annum *b)* tristis confitetur. Hujus obitum tanto acerbius tulit purior Dei coetus Evangelicus, quanto sciebat magis, unum hunc ex ordinatis Solnae superfuisse Superintendentem, qui ecclesiis cum profusa utilitate consulere solebat, virum, nisi Deus alias voluisset, multo ulteriori vita dignum.

b) Georg. Zavodszky fuit C. Georgio Thurzo ab epistolis. Hic primis vitae suae annis in Articulo de sacra Coena placitis Calvini adhaerebat, sed cum sacramentum coenae apud nostros participare voluisset, etsi ejus causa ipse C. Georg. Thurzo institerit, non prius admissus est, quam libera voluntate Formulae Concordiae subscripsisset et edita coram Superintendente Elia Lani et Rev. Thoma Francisci Pastore Predmiriensi confessione verum corpus Christi et sanguinem in s. coena vere adesse et eadem ab omnibus, tam dignis quam indignis, ore, non quidem Capernaitice, sed sacramentaliter sumi, propriae manus subscriptione confirmasset in hunc modum: Sic sentio et credo: Domine Deus adjuva me et succurre imbecillitati meae, per eum, qui hanc s. coenam instituit, Georg. Zavodszky Bitschae in arce 1618. 3. Maji.

Nicolaus Fidicinis *)

Pastor ecclesiae Galgocziensis, per omnes dignitatis gradus ad hanc provinciam subvectus. Patria fuit Bajmoczensis, quem cum C. Georg. Thurzo ad litteras et majora quaeque natum esse divinando adsequeretur, nihil neglexit eorum, quae ad expoliendum juvenem quocunque modo pertinere existimabat. Hinc litteris percutus, fit sub initium seculi superioris Bitschae Rector ita fidelis, ut ei circa an. 1608. provincia Rectoris crederetur, quam tanta dexteritate administravit, ut an. 1621. ecclesiae ejusdem Minister constitueretur. Hunc optime sibi cognitum C. Stanislaus Thurzo Galgoczium evocat, directionem ecclesiae eidem committit (et 1621. 4. Nov. per M. Johan. Hodikium Bajmoczii occasione exequiarum Hrochotti ordinari curat) **) et post pia Isaaci Abrahamidae fata communi Ministerii et Inc. Nobilitatis consensu an. 1622. Superintendentem constituit. Galgoczio ad Praeposituram Bajmoczensem translatus hoc egit, quod commissum sibi officium, purior conscientia et honesti nominis decus exigebat. Vir enim fuit omnium confessione eruditus a) et melioris ordinis disciplinaeque ecclesiasticae multo studiosissimus. Praeterquam enim quod Ministris suae inspectioni attributis invigilabat diligentissime, etiam severe castigabat, si qui legum et melioris conscientiae obliti, cum scandalo delinquebant. Hoc inter reliquos exemplo Tobiae Libertini palam fecit. Annis ille XVIII. egerat Pastorem, nullo unquam tempore ad sacrum hoc Ministerium initiatus. b) Hoc dum Superintendenti

*) Hic Fidicinis et nomine Piscatoris vocabatur: quod confirmatur ex Diario Thomae Dorothicii p. 30. ubi sequentem in modum scribit Dorothicius An. 1623. Galgoczium ad viduam mei filii Davidis et orphanos veni. Adivi Dom. Superintendentem Nicol. Piscator, sed discessum parabat in Bajmocz 15. Jan: (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

Hic Nicol. Fidicinis in antiquis monumentis Bajmoczensis appellatur, omisso cognomine a Fidibus ducto, fors propterea, quod Bajmoczii sit natus et in lucem editus, Vid. Ind. Ordinatorum per M. Petrum Zabelerum nro. 18. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

**) M á s v a l a k i n e k k ö z b e s z ú r t j e g y z e t s l á t s z i k l e n n i.

a) Exstat eruditum ejus M. S. sub titulo: Prolegomena per quaestiones in Genesis tradita et an. In DoMo tVa habltabo ChrIste continuata.

b) Circumferebat ille testimonium ordinationis Lipsiae alteri cuidam datum. Huic eraso genuino nomine, suum adscripsit et se ad obeundum Ministe-

nostro haud obscure innotuisset, convocatis 1623. die 5. Julii 6. Contuberniorum c) suae directioni commissorum Senioribus atque Decanis, in rem studiosissime inquisivit et comperta rei veritate, hominem profanum prius, uti meruerat, mulctatum inter rusticos relegavit, idemque in omnibus coetibus sibi subjectis ex suggestu significari praecepit, ne quis imposterum profani hominis exemplo divina hac ordinatione temere abutatur. Reliquum vitae, quod superfluit, administrando feliciter officio et ordinandis rebus ad publicam utilitatem pertinentibus dedicavit et postquam tribus annis huic praefuisset stationi, olim jam multis laboribus fatigatus, relicto alteri loco, an. 1625. apud Bajmoczenses finem vivendi fecit, ritu Christiano non sine sollemnioribus exequiis contumulatus.

Andreas Dióssi*)

Ecclesiae Galgocziensis Pastor, de quo pauca admodum in litteras relata invenio. Hoc certum est, eum nobili genere natum, ita studiis diligenter incubuisse, ut non solum in aula Ill. Proregis

rium ordinatum fuisse mentitus est. Sub quo etsi annis 18. latuerit: divina tamen providentia pati noluit, ut sacra hac institutione homo omnium maxime temporarius diutius contemptim abutatur.

c) Contubernia illa fuere sequentia: Prividiense, Oszlánense, Nagy-Tapolcsanense, Galgocziense, Cseithense et Szeniczense, quorum quodlibet suum peculiarem venerabatur Seniozem.

*) Hic Andreas Dióssy, Pastor ecclesiae Szeniczensis, legatione fungebatur in Comitibus Neosoliensibus, nomine Dom. Superintend. et Ministrorum decem Comitatum Cis-Danubianorum per M. Joh. Hodikium (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

Andream istum Dióssi a sacris Romanis descivisse et ad nostram ecclesiam accessisse, documento est Panegyris St. Ladislai Regis Hung. inclytae nationis hungaricae, in celeberrimo ac antiquissimo Archi-Gymnasio Viennensi, Patroni, annua solennitate 27. d. Junii in Basilica D. Stephani declamatai quam Reverendissimo Casparo Hofmanno, celeberrimi Monasterii Melicensis Abbati offert Andreas Dióssi Pannonius, Alumnus Ven. Capituli ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Sacro- S. Theologiae Studiosus. Viennae Austriae excedebat Ludovicus Bonnberger in Contubernio Aqui. an. 1612 in 4.

In visitatione ecclesiae Zsambokretiensis Contubernio Gradnensi adjectae per Eliam Lany Superintendentem an. 1611. facta, fit mentio Domini Stephani Dióssy, de eoque adscribitur, quod annuatim pendat Pastori duas metretas tritici. Vide Prot. Visit. p. 101.

Hung. Georgii Thurzo an. 1616., quo subscripsit die 6. Julii legibus Ven. Contubernii Trenchiniensis, Concionatoris Hungarici provinciam obierit et Pastorem demum Szeniczensem atque Contubernii Berenchiensis Seniore m egerit, sed etiam mortuo Nicolao Fidicinis Superintendente, dum Galgoczii jam sacris praecesset, ipsa Dominica Jubilate an. 1626. in Conventu Prividiensi Superintendens electus et in templo ejusdem ecclesiae ritu Apostolico inauguratus fuerit. Haec ei honoris accessio tanto fuit illustrior, quanto certius est, eam communibus omnium suffragiis fuisse procuratam. Praeter frequentissimos enim ecclesiarum Ministros electioni interfuit Inc. Nobilitas, ad feliciter definiendum sacrum hoc negotium evocata. Haec dum fiunt, relicta priore statione ad Bajmoczenses translatus est, exemplo antecessorum titulo Superintendentis et Praepositi Bajmocziensis usus. Meminit ejus Thomas Martinides Pastor Lucsivnensis in Indice Ordinatorum per M. Petrum Zabelerum a) quibona fide confitetur, quod eum Hunnobroda ex Marchionatu Moraviae, Magnif. Dn. Ludovicus Nyári Dominus arcis Berench, ex commendatione Cl. Andreae Diosii Superintendentis Bajmocziensis ad oppidum Szenicz in Cantorem vocaverit. Sed non fuit diuturna Superintendenti nostro haec dignitatis possessio, siquidem ipsis feriis Paschalibus 1627. accessiones illas fortunarum cum vita deseruit, proemia laborum in resurrectione mortuorum expectaturus.

Andreas Dióssy Pastor Szenicziensis in locum Ven. Senioris Schmidelii Brizno-Bánensis electus est 1618. 14. Febr. et eodem anno d. 9. Julii in templo Szenicziensi per impositionem manuum ab Isaaco Abrahamide Hrochotio confirmatus.

Anno 1628. die 5. Julii in Congregatione 6. Contuberniorum Nitriensium Galgoczii habita Andreas Dióssy jam qua Pastor et Senior Galgoczensis accusavit Tobiam Libertini, quod 18. annis S. Ministerio functus fuerit non ordinatus. A. 1625. d. 9. Apr. qua Pastor et Senior Galgoczensis in vanum laboravit in avulsione Pastoris Bajmoczensis a corpore Contubernii Tapolcsanensis ejusque ad Ven. Contubernium Galgoczense applicatione. A. 1626. ipsa Dominica Jubilate in templo Prividiensi, praesidente C. Stanislao Thurzo in Superintendentem electus: sed anno 1627. ipsis feriis Paschalibus mortuus (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e i.)

a) Videri potest in hanc rem Index ordinatorum per M. Petrum Zabelerum ad annum 1631.

Basilus Fabri

Ecclesiae Prividiensis Pastor, cum Basilio Fabritio scholae Sáros-patakiensis circa annum 1567. Rectore Evangelico non confundendus. Hic enim patria Szikszoviensis *a)*, Superintendens autem noster Hlinicensis erat, uti Daniel Paullinus posteritatis gratia adnotavit *b)*. Absoluto feliciter studiorum cursu in diversis ecclesiis officio Pastoris functus est. Nam sub primordia seculi superioris Hritschoviensis Pastor et Ven. Contubernii Decanus erat*) et demum ad regendam ecclesiam Prividiensem translatus in Synodo ibidem instituta, ipsa Dominica Jucunditatis an. 1628. non tam Ven. Ministerii, quam nonnullorum Nobilium sententia Superintendens renunciatus est. Ad hanc provinciam et hoc accessit, quod relicta ecclesiae Prividiensis administratione Praepositus Bajmoczensis fuerit constitutus, ibidem a. 1630. die 8. Nov. fato functus. Deductioni funeris pauci admodum Ministri interfuerunt, partim quod praeter eorum sententiam hanc obtinuerat dignitatem, partim quod disperso hinc inde milite tutum peregrinari non fuerit. Ei ad laudem satis est, quod vitae integritate et patientia clarus beate in Domino obierit.

a) De Basilio Fabritio Rectore Sárospatakiensi ejusque meritis in rem Evangelicam videri potest Georgii Caesaris Cassoviensis erudita non minus quam elegans oratio de vita et obitu Basillii Fabritii Wittembergae an. 1577. in 4. edita. Ad haec Cl. Rotaridae Historiae Hungariae Litterariae Lineamentorum Prolegomena, in quibus p. 179. seqq. prolixè eum laudat et orationem ejus in obitum Gabr. Perény editam tanquam illustre antiquitatis monumentum ex vero commendat.

b) Daniel Paullinus Ill. C. Georgii Thurzo alumnus Wittembergae sub Jacobo Martini Disp. Logicam VI. de Interpretatione an. 1614. tuitus est, quam inter complures alios Basilio Fabri Hlinicensi Pastori Hricsoviensi dedicavit.

*) Primum ad coetum St. Michaelis in l. Comitatu Thuroczienti, uti subscriptio ejus anno 1615. 26. Junii facta testatur. (Más valakinek jegyzete.)

Nicolaus Martini *).

Ecclesiae Cseythensis Pastor multo fidelissimus, olim Martin-ko appellatus, cum Nicolao Martini Lászlófalva Thurocziensi non confundendus. Noster enim Superintendens Rosenbergae inferioris conditionis parentibus natus fuit, uti Nicolaus Lucae Ujhelyiensis in Indice Ordinatorum Zabeleriano ad an. 1632. constatur. Praesidiis ad vitam cum commoditate transigendam destitutus, studiis incubuit et Deo rebus ejus propitio ita profecit, ut non tantum Bitschae, qua Conrector, ac Ujhelyini ad Kiszuezam, sed vel maxime Tótpronae a) apud Thuroczienses copiosae juventuti ad an. 1615. praefuerit. Hinc ad ecclesiam Alsó-Kubinensem evocatus provinciam Diaconi magna cum dexteritate obibat **) atque demum divina providentia Cseythensium Pastor factus est. Hic ita fide-

*) Erat Nicolaus Martini membrum Contubernii superioris Districtus Trenchinensis, sed quo in loco Pastor, nescitur, quem Joh. Ambrosiades an. 1619. 23. oct. in conventu Solnae habito deprecabatur.

An. 1637. d. 23. Martii Praepositus Ujhelyiensis erat Andreas Zittkius, Diaconus vero Jonas Piscator. Vid. Album Stumpfii.

Habuit noster Nicolaus Martini Fratrem Samuelem Martinium Rectorem Szuloviensem, quem primum suum praeceptorem dicit Zacharias-Clementis, Georgii filius, in Diario patris, opera Gabrielis Voloviez descripto § 14.

Hic Nicolaus Martini, postea Superintendens, baptizavit Mariam, Rev. Georg. Clementis Pastoris † Szuloviensis filiam, an. 1626. die 19. Aug. uti ipse Georg. Clementis in Diario suo p. 13. adnotavit.

In Albo Joh. Christ. Stumpfii hoc modo nomen suum adscripsit :

Vita viatoris quasi transitus, omnia finem,
Quicquid hic immundus mundus honorat, habent,
Ergo disce Deo fidere, tutus eris.

Humanissimo et ornatissimo Domino Johanni Christiano Stumpfio, magni illi us viri et mei amici honoratissimi M. Joh. Stumpfii filio, apponebam Csejthe Pannonum 14. April. anno 1637. Nicolaus Martini eccl. Csejthens. Pastor et Superintendens. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e i).

a) Postquam Tótpronae in dirigenda feliciter juventute inclaruisset, non amplius Martinco, sed Martini appellabatur, quod num ejus arbitrio vel aliorum sententia factum sit, non definio.

**) Bitschae quoque eodem officio per annum 1616. non sine laude defunctus, ac a. 1618. ecclesiae Jeszeniczensi Pastor datus, a. 1627. ex eadem discessit (G a m a u f s a j á t k e z ú j e g y z e t e.)

officii procuratore inclaruit, ut in Conventu ibidem 2. Apr. 1631. instituto oblatam sibi Superintendentis provinciam administrare habuerit necessum. Vix eam obire orsus est, nova eum exspectabat honoris accessio. Nam paucum post tempus relictis Cseythen-sibus communi omnium sententia splendidam Praepositi Ujhelyi-ensis provinciam administrare jussus fuit. Dum hic magna animi contentione, nec sine emolumento, utriusque officii partes procuraret, per C. Johannem Drugeth de Homonna a Comitibus Posoniensibus reducem an. 1638. Praepositura Ujhelyiensi ad Vagum exturbatus est *b*). Quam hoc ei moleste acciderit, prolixè recognoscere opus non est, cum nemo sit, qui non sibi facile persuadere patiatur Tandem superatis, quae eum adfligebant, molestiis, an. 1640 instabilem stationem Ujhelyiensem cum perpetua commutavit et ibidem beate mortuus est.

Daniel Dubravius.

Hic Solnae parentibus multo honestissimis natus, honestum eorum nomen multis accessionibus amplificavit. Vix annos adolescentiae excesserat, haud obscure patuit, Hungariam in eo habituram virum regendis defendendisque ecclesiis multo utilissimum. Nam praeterquam quod in patria praeceptoribus, quibus commendatus erat, diligentiam approbavit: etiam apud Saxones in luce versatus est et confirmatis feliciter studiis sub M. Balthasare Fuhrmanno Gymnasma Logicum de ordine et methodo an. 1619. cum laude tuitus est. Patriae restitutus scholae Trenchiniensi, Briznensi et Banovicensi cum magna nominis sui commendatione praefuit, uti Paulus Simonides Bobrovicenus Trenchinii, Nicolaus Rotarides Teuto-Liptschensis Briznae, et Tobias Galonecz Briznensis Banovicii ejus institutione usi memoriae prodiderunt *a*). In regendis scholis patriae ad superiora praeparatus non tantum in ecclesia Predmiriensi *b*) et aula Com. Casparis Illyésházy *c*), sed etiam

b) Vide hanc in rem Historiam Diplomaticam p. 24. editionis a. 1710. in folio.

a) Vid. Index Ordinatorum M. Petri Zabeleri ad an. 1627. et 1638.

b) Qua Pastor Predmiriensis subscripsit Legibus Contubernii Trenchiniensis an. 1641. 30. Jan.

c) Pastor Casp. Illyésházy erat an. 1628. Vide Indicem Ordinatorum per M. Petr. Zabler N. 108. Ergo prius erat aulicus, quam Predmiriensis. Ergo corrigendus D. Rev. Schmal. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

apud Szeniczenses cum prolixo auditorum emolumento sacris defunctus est et postquam divexatio ecclesiarum Evangelicarum, quae an. 1638. et sequentibus desaevebat *d)*, publica Comitiorum Posonii an. 1647. celebratorum constitutione sedaretur, omnium, quorum intererat, sententia 7. Jun. an. 1641. in Synodo Banovicensi Superintendens electus et a Joachimo Kalinkio Superintendente consveto more Trenchinii inauguratus fuit. Recolit Dubravii nostri memoriam Daniel Lani in Praefatione Igneae veritatis columnae parti generali praemissa p. 8. Nec sine ratione, vir enim fuit eloquens et scripturarum peritus atque contemptu rerum hujus seculi ad omnem posteritatem memorabilis. Quod ut omnibus testatum relinqueret, vestitu usus est modesto et ultra, quam quis existimare queat, vili *e)*. Libellum Matthiae Hoe, qui Manuale Evangelicum *f)* appellatur, per M. Christophorum Megandrum in slavicum idioma translatum, sumtibus suis recudi curavit eique doctissimam praefationem praemisit anno 1650. Tandem multis variisque laborum molestiis enervatus, non sine profundo Szeniczensium et totius Inc. Districtus dolore a. 1655. finem vivendi fecit, ante tristissima, quae coetui Evangelico imminabant, fata quieti destinatus.

d) De divexatione Evangelicorum anno 1638. et seq. legi potest Historia Diplom. in Gravaminibus ejusdem anni.

e) Hoc uti olim in vulgus notum fuit, ita ex Libro Memoriali superioris Districtus Ven. Contubernii Trenchiniensis innotuit posteritati. Cum anno 1641. C. Casp. Illyesházy ad solennitatem nuptiarum, quam filio Gabrieli apud Liptovienses apparabat, Ven. quoque Contubernium Trenchiniense invitaret, communi sententia decretum fuit, ut Rev. Daniel Dubravius Pastor Pradmiensis et Joh. Vislicenus Minister Puchoviensis eodem officio defungantur: sed Dubravius omnium Fratrum judicio vilem vestitum suum cum elegantiori, a Ven. Elia Ladivero mutuo accepto, Solnae commutare habuit necessum a quo inveterato more suo ne Superintendens quidem factus desciverat, humilitatis, si ea vestitu definiri queat, studiosissimus.

f) Prodiit utilissimi hujus libelli postrema editio ante annos viginti et quod exourrit, absque notatione loci et temporis, expensis Elisabethae de Reva procurata et elegantissimis accessionibus ex Joh. Günther Via Coelesti adaucta. Possideo exemplar libelli Dubravianaë editionis, in quo Editor post impressa verba Dedicacionis: († K Sláve samého mocného Krále Kralujjých a Pána Panujjých, k uzitku vselikého Stavu, Vyvejsenosti, Rzádu a Pohlavi, milovnjikum pravdy Nábozenstvji Evanjelického) propria manu adjecit: (zvláste ne Slovutnému a Opatrnému Muzi Pánu Martinovy Prisoltovy Senickému, pánu kmotrový a prjteli v Krystu pánu povazitedlnému,) post quae sequuntur

M. Martinus Tarnocius.

Hic Beczkoviam natalibus suis illustravit et nobile gentis suae nomen cum dignitate tuitus est. Statim a primis pueritiae annis ad studia magis, quam arma propendebat et ita melioribus litteris incubuit, ut in Saxoniam delatus haud vulgaria eruditionis suae specimen ediderit. Dum enim Wittembergae studiis operaretur, primum sub Joh. Scharfio de Pseudosophia Cacodoxorum et sobria Philosophia Orthodoxorum an. 1646., dein post biennium sub D. Jacobo Martini de Theologia Heterodoxa et Orthodoxa non sine laude disputabat et rebus praeclare gestis Magister meruit appellari. Vix patriae charissimae, a qua aberat, redditus fuit, scholae Szeniczensi an. 1649. Rector datus ita rem suam diligenter egit, ut post annum arbitrio majorum scholae Trenchiniensi fuerit praefectus. Hic in forma edidit Disputationis Speculum Orthodoxiae Lutheranae et Stateram Theologicam adversus Coturium *a*), non sine eximia nominis sui commendatione. Inde evenisse opinor, quod Vág-Ujhelyenses an. 1651. et dein Prividienses eum ad regendam ecclesiam vocaverint et paucum post tempus Superintendentem fuerint venerati: a. enim 1656. 29. Martii in Synodo Ludanensi *b*) officium Superintendentis administrare jussus a Joachimo Kalinkio consecratus fuit *), vir multis iisque tristioribus casibus exercitatus. Vix enim quadriennium abierat, anno 1660. per viduam C. Pauli

typis impressa: oddáva a offeruje Daniel Dubravius. Steph. Schimko † Ad Gloriam ipsius potentis Regis Regum et Domini Dominantium, in usum cujuslibet Status, Superioritatis (Dignitatis), ordinis et sexus, veritatem religionis Evangelicae amantium — praesertim Celebri ac Circumspecto Viro. Domino Martino Priszolt, Szeniczensi Civi, Domino compatri et amico in Christo Domine longe aestumatissimo — Dedicat et offert Daniel Dubravius, *a*) Prodiit utraque Disputatio Trenchinii litteris Laurentii Benjaminii ab Hage. Prior an. 1649., alia 1650., quam tuitus est Isaacus Draskóczy Thuroczensis.

b) In hanc rem conferri potest Applausus super solennem Panegyrim in Castro Ludan eligendorum et confirmandorum Superintendentum causa meditata et toti Conventui oblatus per Joseph. Guttovieni scholae Poseniensis Hung. Rector. Prodiit anno 1656

*) Multum ei succensuit Gabriel Il'yésház, quod hunc ordinaverit in Superintendentem. Vide Protoc. Vén. Fraternal. Liptov. p. 132. fac. a. (Más valakinek jegyzete.)

Pálffi Regni Hungariae Proregis Prividia exturbatus c) exulare coactus fuit. Ab exilio tristi satis et infelici ad ecclesiam Divék-Ujfalvensem *) evocatus, utroque officio consveta cum diligentia defunctus multo acerbiora experiri habuit necessum. Anno enim 1673 cum socero suo Joachimo Kalinkio, ejus enim filiam Benignam in matrimonio habuit, Posonium citatus in exilium subscripsit d) et apud exteros variis jactatus fatis, post Comitiam Sempronensiam an. 1681. celebrata patriae restitutus, iterum priorem apud Divékien-ses stationem occupavit. Scripsit, dum ecclesiae Priviensi prae-fuisset, Clenodium raptum non ereptum, sive Orationem funebrem in obitum Pauli Osztrosih an. 1653. in templo Illaviensi sepulti. Neque in exilio apud exteros desidiosus erat. Reliquit enim posteritati praeter Halcyonia Svevico — Danico — Germanica etiam Mis-niam celebrem e), ne quid de Lessu lugubri Exulum Hungaricorum, aut Threnographia Prosapiae Kalinkianae, de qua in superioribus dictum fuit, adjiciam. In scribendis carminibus facilis fuit et sae-penunero facetus, quod tum vel maxime testatum fecit, cum ex thermis Trenchiniensibus, ad quas abluendi corporis causa conces-

c) Francisca nata Hayin illa fuit, quae Prividiae an. 1660. non tantum templum minus extra oppidum situm et Divo Marianum appellatum, sed brevi etiam templum majus intra oppidum excitatum violenta manu occupavit et quemadmodum alios Ministros Evangelicos ex ditione Bajmoczensi, ita ipsum quoque Superintendentem Tarnocium, indulgentia Ill. Com. Pálffi mariti sui inductum, non sine ignominia submovit. Vid. Hist. Diplomatica in Appendice § 118.

*) Elias Thomae Rector Posoniensis scripsit Dissertationem sub titulo Religio qua talis et qua Christiana: Respondente Jacobo Alumide de Tepla-Liptoviense. Posonii 1669. IV. dedicata est M. Martino Tarnoci Pastori in Diviak, Superintendenti Comitatum etc. (M á s , a l a k i n e k j e g y z e t e)

d) Hujus ipse fide dignus testis est. Ita enim an. 1682. Postillis Moteschitzkianis subscripsit: M. Martinus Tarnocius, natione Hungarus, genere nobilis, munere Pastor ecclesiae Divekiensis et Superintendens Comitatus Nitriensis, Posoniensis et Barschiensis. Sorte exul.

e) Prodiit uterque tractatus Zittaviae typis Michaelis Hartmanni, prior quidem stilo oratorio ac poetico a. 1682. in IV., alter eadem ratione elaboratus an. 1683. 30. Junii.

serat, per servos C. Illyésházy verbis fulmen hungaricum redolentibus exire juberetur. Exiturus enim sequens carmen januae adscripsit:

O thermae, thermae, tetigistis fulmine ter me,
Obstupui ferme, laribus mea cymba refer me,

quod dum Comes legisset, non tantum eum revocavit, sed etiam maledicos servos punire voluit, nisi Tarnocius fuisset deprecatus. De laboribus, quos visitandis diligenter ecclesiis et ordinandis rebus ad communem utilitatem pertinentibus impendit, dicere nihil adinet, cum in publicis Libris Memorialibus, quos Protocolla nominamus, non pauca supersint documenta, quae Tarnocium nostrum dudum commendarunt posteritati. Tandem superatis divino munere molestiis, duplici et eo quidem tristissimo exilio meritisque insignis in arce Blatniczensi apud Thuroczienses *f*) ultimus horum I. Comitatum superiori seculo Superintendens Tarnocius an. 1685. beate in Domino mortuus est *). In solenni, quam meruerat, funeris deductione Daniel Krmannus *g*) Rector eo tempore Moschoviensis, dignum virtuti Tarnocizanae pretium exsoluturus, jussu Ven. Conubernii Thurocziensis oratione latina parentabat. Hoc in partem solatii reponere solitus fuit noster, quod ossa ejus alieno sanctoris reipublicae tempore mille modis fatigata in solo patrio quiescere potuerint, cum multi praeclari viri in tristi illo decennali exilio extra patriam fuerint contumulati *h*). Deus haec a nobis et posteris nostris clementissime prohibeat et rem Evangelicam in patria potentissime tueatur.

f) Hiobus Trusius Vetusoliensis Minister et tempore magnae illius Ministrorum Evangelicorum divexationis exul, edidit Lipsiae an. 1687. in IV. Statuam in perennem Mnemoynen Virorum ex Hungaria per diversas mundi plagas exulantium, in qua percenset non eos tantum, qui in exilio mortui sunt, sed etiam qui divina providentia redierunt, et ab an. 1673. ad an. 1686. mortui sunt. Breve scriptum carmine concinnatum, sed elegans et posteritati multo gratissimum.

*). 25. Martii anni 1685. vixit adhuc, nam Jacob. Blasio ad ecclesiam Divo-Stephanensem vocato testimonium dedit et subscripsit, quod actum est in ecclesia Divo-Andrensi in Comitatu Thurocziensi.

Est apud Ven. Paulum Major originale. In templo subarvensi s. D. Andree d. 23. Jul. sepultus (Màs valakinek jegyzetei).

g) De Daniele Krmanno Superintendente erit inferius sermo.

h) Ita Daniel Remenius 1678. Brigae, Joh. Sinapius cum conjuge et

Sectio II.

de

Superintendentibus Cis-Tibiscanis.

Posteaquam in Synodo illa Solnensi pro decem Comitatus Cis-Danubianis tres renunciati fuissent Superintendentes, Synodus Váralyii apud Scepusienses an. 1614. auctoritate Proregis Hungariae sub praesidio Comitis Christophori Thurzo celebrata, pari ratione communi consensu duos eligit Superintendentes, quorum unus I. Comitatus Scepusiensi et Sárosiensi, alter Liberis Regiisque Civitatibus in Superiori Hungaria moderaretur. Hos ego ea, qua fieri potuerit, adcuracione recensebo. Primus eorum fuit

M Stephanus Xylander.

Si iudicio magnorum virorum haud vulgaris humanae felicitatis pars est eo loco nasci, qui non minus celebritate, quam religiosa sacrarum rerum procuracione litterato orbi innotuit: habebat profecto, quod in partem felicitatis referat M. Stephanus Xylander *a)* alias Holtzman *b)* appellatus, cum Leutschoviae Liberarum Regiarumque Civitatum in superiori Hungaria facile principe, non

duobus liberis Halis, Esaias Pilarik Levini, M. Eckardus, Joh. Salakius et uterque Grebius Vratislaviae, Fabritius et Paulus Galli Dresdae, Sztrakoczius et Joh. Lani Lipsiae, Joh. Hodikius Hamburgi et Andreas Urbanovic, Vismariae sepulti quiescunt et gratuita proemia exulibus in Verbo Dei promissa praestolantur, quod laudatus Hi. b. Trusius exilii socius posteritatis gratia adnotavit.

a) Hic noster Xylander cum reliquis ejusdem nominis viris confundi non debet. Innotuerunt enim litterato orbi Guilhelmus Xylander Augustanus apud Heidelbergenses graecarum litterarum Professor, qui Plutarchum de educatione liberorum latina donavit civitate; ad haec Casparus Xylander gymnasii Erfurtensis Professor an. 1627. mortuus.

b) Commutatio haec nominum seculo XVI. et seq. inter eruditos non infrequens fuit. Ita Reichlinus restaurator ille graecarum litterarum Capnion, Melanthon autem ejus discipulus Schwartzerde, et Osiander olim Seeligman

tantum an. 1571. honestis parentibus natus sit c), sed etiam vitae felicitatisque auctoramenta ibidem fuerit consequutus. Postquam enim percolendis studiis animum adiecisset, tantum abest, ut sanctior ille Leutschoviensium Senatus honestas ejus destinationes anteverterit, ut procurarit potius subsidia, continuandis cum utilitate studiis ut quamplurimum necessaria. Nam praeterquam quod in schola patria, quae seculo XVI. inclinante egregie floruit, melioribus litteris imbutus est, etiam singulari Dn. Leutschoviensium benevolentia an. 1591. Wittenbergam commigravit et stipendio Thurzoniano adjutus, magna animi contentione hoc egit, ne vel nutritios collati in se beneficii, vel eum male collocati temporis debeat poenitere. Melioribus litteris egregie percultus, non tantum gradum Magisterii consequutus est, sed etiam praeter omnem expectationem suam a sanctiore illo Senatu Leutschoviensi Wittenberga revocatus, postquam ministerio Aegidii Huni 1599. sacros ordines obtinisset, ita commissam sibi Diaconi provinciam per quinquennium exornabat, ut prius quam ipse putaret an. 1604. ecclesiae Crombachiensis in Scepusio, et dein Liberæ Regiaeque Civitatis Cibiniensis Minister constitueretur. Hic campum explicandae eruditionis suae consequutus ita omnia praecelere egit, ut nihil reliquerit intentatum, quod sub primordiis emendatae religionis puri-

appellabatur: ne quid de Chytraeo, Pelargo, Mylio, Trapezuntio et multis aliis adjiciam, de quibus videri potest Virorum Eruditorum Onomatophrasis a C. W. P. G. Frankenhuae an. 1720. edita. Ita Michael Sinapius Sucasnensis Pastor et Ven. Contubernii Thuroczensis Senior, Johannis et Danielis Sinapiorum felix pater olim Horcsicska appellabatur, et Tobias Erythraeus Durandivillensis Pastor et M. Joachimi Erythraei Leutschoviensium Archidiaconi pater nomen germanicum cum graeca appellatione commutavit. Nam majores ejus Rothii vocabantur, ille autem a graeco Erytros Erythraeus voluit appellari. Huc retuleris Albinos, Avenarios, Fabritios, Gallios, Lanios, Leporinios, Parvios, Piscatores. Prunios, Regios, Sartorios, Ursinios et his similes qui neglecta appellatione patria, ex more seculi latinam adsciscebant, ut hac etiam ratione ab incondita plebe distingverentur.

c) Confirmat id ipsum Xylander in Epigrammate scholae Salernitanæ an. 1617. per Daniclem Schultz Leutschoviae editæ adposito. Si quis viros eruditos Leutschoviae natos minimum percensere vellet, laborem sibi conciret inexcusablem. Huc referas praeter eos, quorum mentio expressè professo in hac Commentatione facta fuit, Adamios, Alaudas, Crameros, Güntheros, Hauckios, Kettelios, Kretschmeros, Praetorios, Schrötters, Sturmios et plures alios, quos hic siluisse nullum est famae dispendium.

ori coetui Evangelico saluti fore existimaret. Hinc factum est, ut procedente demum tempore non solum populoso coetui Váralyien- sium Pastor fuerit datus, sed etiam XXIV. Regalibus Ministris nomine Senioris moderaretur. Hoc ei ad laudem perpetuo duratu- ram scribi debet, quod C. Christophorus Thurzo terrae Scepusien- sis perpetuus et I. Comitatus Sárosiensis supremus Comes, qui a sacris Evangelicis desciverat, ejus operosa diligentia et argumen- tis ex verbo divino petitis, de veritate Evangelica convictus ani- mum mutaverit et post annos 9. quibus sacris R. Catholicis adhae- serat, 23. Martii sive Dominica Reminiscere anno 1613. praevia confessione in arce Scepusiensi edita ad Evangelicos redierit et confirmata Ven. Sacramento fide nunquam amplius se ab agnita veritate passus fuerit dimoveri. Exstat, quod scio, notabilis hujus conversionis historia a Xylandro ipso, dum viveret, bona fide con- signata *d*), quam tamen avaris quorundam scriniis detineri, neque ad publicam omnium pervenire notitiam, multi juxta mecum dolent, si dolere satis est, quod dedoleri potest nunquam. Dum ita commis- sam sibi provinciam Xylander tueretur, factum est, ut in Synodo Szepes-Várallyiensi *e*) an. 1614. mense Jan. celebrata, communibus suffragiis in Superintendentem I. Comitatum Scepusiensis et Sá-

d) Videatur in hanc rem proluxa Praefatio D. Samuelis Pomarii Disputa- tionibus ejus de Peccato Originali Eperjesini conscriptis praemissa an. 1669.

e) Certum est et exploratum, statim post reformatam religionem Evange- licam apud Hungaros Synodos in negotio religionis fuisse celebratas. Ne quid enim adjiciam de Synodo quinque Lib. Reg. Civitatum ante exhibitam an. 1549. regi Ferdinando Confessionem celebrata, certum est in oppido Erdőd sub tutela Casparis Dragfii an. 1545. coactam fuisse Synodum, in qua XXIX. Ministri Evangelici XII. Articulos sanxerunt, Confessionem Augustanam con- firmarunt et Art. XI. secessionis a Pontifice Romano rationem reddiderunt. Huc pertinet ex sententia Historiae Diplomaticae Synodus Tornönsis, in qua an. 1549. peculiare Articuli de officio Ministrorum fuerunt conditi. Ad haec Synodus Leutschoviensis an. 1597. in causa M. Antonii Platneri ibidem Pa- storis celebrata. Hunc enim M. Johannes Rhaw Rector Leutschoviensis, pa- tria Lubccensis, vir doctissimus, in peste an. 1600. 13. Aug. Leutschoviae mortuus, Calvinismi accusaverat et quod Pastori animarum turpe fuit, etiam in ipsa Synodo convicerat. De Synodo Várallyiensi dictum in antecedentibus quod satis est

rosiensis *f*) fuerit electus, in templo arcis Scepusiensis cum insigni solennitate et frequentissimo Illustrium Virorum comitatu confirmatus. Non fuit tamen ei diuturna haec honoris possessio, siquidem fati functo C. Christophoro Thurzo, ab officio Superintendentis non sine praesenti existimationis suae jactura deturbatus fuit *g*). In eas conjectus angustias, verbi divini et patrum primaevae ecclesiae lector et aestimator ingenuus: praeterquam quod ludibria fortunae constantissime despiciebat: etiam vitam ad omnem pietatem composuit et molestias, quae eum tempore contagionis et persecutionis *h*) circumstabant, forti animo tolerando, spe futurorum animum sustentavit, quod vel symbolo, quo usus est, prolixè demonstrari potest. Hac enim memoriali sententia ut quam plurimum delectabatur:

Post tenebras spero lucem, post nubila Christum,
quod pro ea, qua erat in poesi facilitate, ita explanabat:

Immersus tenebris claram, scio munere Christi
Aspiciam lucem, qua sine fine fruam.

Nec fefellit divinantem Xylandrum opinio. Vix enim quinquennium abierat, dum post tot tantosque fortunae casus ex tenebris in lucem protractus vitam hanc mortalem cum immortalitate commutaret. 19. Ap. an. 1619. confectis 48. vitae annis beate mortuus et quarto post obitum die apud Várallyienses non sine dolore

f) Hinc inter reliqua de constitutione temporum pronum est arbitrari, cum tanta ecclesiarum Evangelicarum in duobus I. Comitibus, Scepusiensi et Sárosiensi, fuerit amplitudo, ut unus iis Superintendens commode praeesse non potuerit. Oportuit certe tantum non omnes ecclesias possedisse Evangelicos, cum tamen injuria temporum in eam redactae sint paucitatem, ut vix umbram pristinae felicitatis referre posse videantur et eae, quae supersunt, ita adfliguntur, ut illorum temporum absque dolore reminisci non possint *).

**)* Ad pag. 51. Superintendentes Cis-Tibiscani non serviebant tantum ecclesiis Scepusiacis et Sárosiensibus, sed etiam Zempliniensibus, Abaujvariensibus et Ungvariensibus, quarum non exiguus erat numerus (M á s v a. l a k i n é k j e g y z e t e).

g) Vide sermonem funebrem in obitum ejus a M. Petro Zabelero habitum, Leutschoviae an. 1620. litteris Danielis Schultz impressum.

h) An. 1660. ita Leutschoviae saeviebat contagiosa lues, ut ultra 2500. brevi tempore elati fuerint. In Ministerio certe praeter Sturmium et Xylandrum nemo superfuit, nequid de periculo Cromptachiensi adjiciam.

contumulatus, postquam M. Petrus Zabelerus Superintendens funus boni viri sacro sermone ornavisset. In conjugem sibi apud Leutschovienses anno 1601. adjunxerat Barbaram Niebelinus, quam tamen optimam vitae et fortunarum sociam post an. XVIII. viduam absque posteritate relinquere habuit necessum. Hinc verum est, quod ipse Xylander Martialem poetam imitatus de fatiis suis scriptum reliquit:

Rara coronato plausere theatra Xylandro,
Judicium melius posteritatis erit i).

Post felicem ejus ex hac vita mortali abitum res Evangelicorum in dictis Comitatus adeo constringebantur, ut cum Xylandro peculiaris haec quoque I. Comitatus dignitas exspiravit et eo tempore communi consensu in Superintendentem Lib. Reg. Civitatum fuerit devoluta. Nullus enim fuit unquam, qui Xylandro fatiis functo duobus his Comitatus nomine Superintendentis praefuisset. Orandus est Deus, ne res Evangelicas, satis alioquin constrictas, porro coartari patiatur; sed pro singulari bonitate sua in dies ampliora largiatur incrementa, quo et ordini sacro suum decus et sanctiori reipublicae sua constet amplitudo.

M. Petrus Zabelerus.

Quod olim poeta quidam non minus ex vero, quam cum ratione loquutus est: saepe peregrinus peregrinis surgit in oris; id singulari Dei providentia in M. Petro Zabelero felix fortunatusque comprobavit eventus. Postquam enim sub Augusto Imperatore Rudolpho II. et gloriosissimo ejus in imperio successore Matthia 1608 religio Evangelica in Hungaria publica regni lege fuisset constabilita, non tantum florentissimi Proceres regni, Georgius et Stanislaus Thurzo Proreges, Petrus de Reva, Sacrae regni Hungariae Coronae conservator, Andreas Osztrosith et plures alii, constitutis amplissimis stipendiis viros eruditos ex vicinis provinciis devocabant; sed multi etiam sponte sua, florenti Evangelicorum statu exciti in Hungariam advolabant, stationem sacram, ubi se dederit occasio, administraturi. Profecto Ill. Comes Stephanus Illyésházy, magnus rei Evangelicae adsertor, sub initium seculi superioris non

i) Hoc me ex Matricula XXIV. Regalium didicisse confiteor.

tantum illustrem scholam Banoviczii in ditione sua crexerat, sed etiam M. Eliam Ursinum *a)* Wittembergae evocatum eidem praefecerat, nequid hac vice de Alberto Graverio *b)* a Spectabili condam Gregorio Horváth Stansith de Gradecz, Neerinum, et Samuele Pomario *c)* per Illustr. Collegii Inspectores Eperjesinum evocato percenseam. Ita eo tempore exteri studia Hungarorum amplificabant et de sanctiore republica Evangelica haud vulgariter merebantur. Huc jure optimo retuleris M. Petrum Zabelerum Hayne in Misnia natum, qui melioribus litteris dedicatus, tanta cum diligentia Musis in schola patria operabatur, ut ex sententia Praeceptorum declinante ad finem seculo XVI. Wittembergam concesserit, studia, quibus se tradiderat, magna animi contentione amplificaturus. Nec defuit honestis ejus destinationibus cum fortuna Deus; siquidem in omni vitae studiorumque genere ita versabatur, ut non minus amorem Praeceptorum sibi conciliarit, quam dignus fuerit aestimatus, cui optimo jure axioma Magistri conferatur. Explicandae eruditionis campum quaesiturus in Hungariam propitia fortuna delatus est et in Lib. Regiaque Civitate Cassoviensi Minister fuit constitutus, ubi tanta cum integritate commissas sibi partes obibat, ut I. ecclesia Leutschoviensis dignum virtuti Zabelerianae pretium po-

a) M. Elias Ursinus Delitio-Misnicus confirmatis Freibergae atque demum Wittembergae studiis, ab Ill. Comite Stephano Illyésházy ad regendam scholam Banoviczensem evocatus, per annos 5. eidem praefuit. Eo plane tempore apud Pragenses schola Bohemico-Germanica fuit excitata, cui Ursinus Rector datus nonnisi per biennium eadem provincia defunctus est. Praga enim Leutschoviam in moderatorem scholae evocatus, postquam sua fideliter exequeretur, dignus habitus fuit, cui provincia quoque Ministri ibidem an. 1617. adderetur. Postremo Igloviae Pastoris officio functus in funere Stanislai Thurzonis 12. Jan. an. 1626. Leutschoviae sepulti pro concione dixit, vir de coetu Evangelico optime meritus.

b) De Alberto Graverio, quantum ad hanc rem satis est, videri potest oratio mea Eucharistica, occasione inaugurationis Georgii Ambrosii Superiutendentis habita et gratia posteritatis 1745. impressa.

c) Samuel Pomarius Theol. Doctor ab exteris ad regendum Collegium Eperjesiense an. 1666. evocatus et supremus ejus director constitutus fuit, post ademptum vero an. 1671. Collegium in exilium actus, ecclesiarum Lubecensium Superintendens salutabatur, postquam in Hungaria non minus docendo quam scribendo nomen suum immortalitati consecrasset.

situra an. 1602. in Pastorem eum vocaverit *d*). Dum eum se in locum delatum vidit, qui et virorum eruditorum frequentia et auditorii celebritate maximas Hungariae urbes facile exaequabat, nihil elaborabat magis, quam ut Inc. ecclesiae illius decus pro eo, ac par erat, tueretur. Hinc non minus integritate vitae et eruditione, quam laborum patientia, ita unus omnium maxime florebat, ut non tantum Lib. Reg. Civitatum, sed etiam XXIV. Regalium Ministris, semel atque iterum nomine Senioris praefuerit *e*). Postquam autem indulgentia Aug. Imp. Matthiae et bonitate Proregis Georgii Thurzo, Liberis Regiisque Civitatibus Superintendentem eligere liberum foret, communi omnium sententia non tantum in Conventu Leutschoviae celebrato, sed etiam in ipsa Synodo Várallyiensi in Superintendentem Lib. Regiarumque Civitatum an. 1614. *f*) electus et

d) An. 1601. die 8. Julii obierat Martinus Sturmus Pastor Leutschoviensis, cui anno sequente suffectus fuit Zabelerus, de quo Xylander in Matrícula XXIV. p. 20. inter reliqua ita cecinit :

Fortunata novos ecclesia concipe plausus,
Iste sacer praesul, Sturmus alter erit.
Sive fidem spectes, seu culto in corpore mores,
Antiquus tibi jam restituetur honor.

e) An. 1609. et 1610. M. Petrum Zabelerum XXIV. Regalibus Ministris nomine Senioris praefuisse ex Matrícula XXIV. Regal. condidici.

f) Inter problemata Joh. Försteri Professoris Wittembergensis comparet Dissertatio super problema VII., VIII. et IX. a Joh. Teubelio Cassoviense sub ejusdem Försteri praesidio 24. Martii an. 1610. habita. Hanc dedicavit inter reliquos Teubelius M. Petro Zabelero et jam tum eum appellavit ecclesiae Leutschoviensis Antistitem Primarium et Superintendentem quinque Lib. Civitatum et XXIV. oppidorum Regalium. Hinc optimus quidam amicus, in rebus patriae ecclesiasticis multo exercitatissimus, nequid ego dissimulem, Ven. Paulus Major apud Berzethienses V. D. M. longe dignissimus, horum laborum meorum optime conscius, dubium excitabat, nonne meliori jure ad an. 1610. renunciatio Zabeleri referri posset, cum jam tum in publico scripto appellatus fuerit Superintendens. Sed stat mihi sententia Zabelerum an. 1614. constitutum fuisse Superintendentem, quod uti mihi certum est et exploratum, ita non tantum Libri publici, quos Protocolla nominamus, I. ecclesiae Leutschoviensis, sed etiam Acta Synodi Szepes-Várallyiensi confirmant, et quod omni exceptione majus est, Diploma minus Thurzonianum Lib. Regiisque Civitatibus Feriis Mathiae an. 1614. transmissum, totidem verbis adserit, quod Lib. Regiaeque Civitates Synodum mense Januario an. 1614. instituerint certosque Articulos una cum electione sui Superintendentis Rev. ac Cl. viri Domini M. Petri Zabeleri, ecclesiae Leutschoviensis Pastoris, sanxerint, conclusere et ediderint. Vide Pomarii Praefationem Disputationibus de Peccato Ori-

28. Junii hora nona matutina in templo Cathedrali Leutschoviensi solenni ritu renuntiatus fuit. Quanta cum dexteritate commissam sibi provinciam fuerit solitus administrare, vel hinc facile arbitreris, quod ordinis et conservandae inter Lib.Regiasque Civitates concordiae longe fuerit studiosissimus. Quamprimum enim advertit quidpiam, quod sive ordinem turbare sive puriori coetui Evangelico labem adspargere posset, non prius sibi quiescendum existimavit, quam omnia ex aequo fuerint consopita. Hinc semel atque iterum cogebat Synodum non tantum anno 1624. die 5. oct. et seq. Leutschoviae, sed etiam Eperjesini anno 1627. 18. Jul. sub praesidio suo celebratam, publico coetuum puriorum commodo, ex praescripto legum consulturus. Vir enim erat non minus eruditus, quam pietate et laborum patientia insignis, et quae magna viri laus est, ultra communem disertus et in dicendo gravis. Testis hujus esse potest eruditus sermo in obitum Proregis Hungariae Com. Stanislai Thurzo habitus g), cum exangve corpus ejus 12. Jan. anno 1626. Leutschoviae in templo Germanico solenni et exquisito ritu terrae mandaretur, ne quid de sermone in tristi funere M. Stephani Xylandri Superintendentis Várallyii recitato adjiciam. In conjugem duxerat nobili genere natam Annam Rollin, ex qua suscepit, quod scio, Jacobum Zabelerum, Bartphae procedente tempore civem praecipuum et Jacobi Zabeleri Superintendentis patrem, M. Jobum Zabelerum h) et filiam Susannam M. Johanni Windisch i) Leutschovien-

ginali an. 1669. praemissam- Quod autem Teubelius in dedicatione sua an. 1610. Superintendentem eum appellavit, stilo Saxonico mihi videtur loquutus, ubi Superintendens idem est, quod apud nos Senior, qui ecclesiis praeesit, eas gubernat, sed Ministros non renunciat. Talis an. 1609. et seqq. fuit Zabelerus, uti in superioribus monitum est. Quod talem Superintendentem intelligat Teubelius vel hinc conjici potest, quod eum appellat XXIV. Regalium Superintendentem, cum tamen Zabelerus tantum quinque Lib. Reg. Civitatum et oppidi Sáros fuerit constitutus Superintendens, XXIV. Regalium autem an. 1610. fuit Senior.

g) Vid. sermonem ex Esa. III. institutum, qui prodiit Cassóviae in IV. sub titulo: Eine christliche Leichpredigt. Item in obitum Xylandri sub eodem titulo prodiit Leutschoviae litteris Dan. Schultz 1620.

b) M. Jobus Zabelerus Leutschoviae 1628. natus ex arbitrio optimorum parentum studuit in patria M. Joh. Windisch et Jos. Alauda institutione usus An. 1644. Solnam missus fuit, ubi eo tempore magna nominis celebritate docuit Elias Ladiver Senior. Hic ad altiora praeparatus Wittembergam commigravit, ubi Joh. Hülsmanno et Vilhelmo Lysero constanter adhaesit et

sis scholae Rectori elocatam, eo nomine, ut quamplurimum felix, quod omnes liberi ejus in spem patriae nati, raro admodum exemplo in praesentissimum parentum solatium adoleverint. Hoc praeter ea Zabelero nostro in laudem scribi debet, quod juvenum melioribus litteris deditorum et imprimis pupillorum maximam habuerit rationem, eorumque commodorum in melius provehendorum fuerit longe studiosissimus. Viris eruditis et in commune utilibus ut quam plurimum delectari solebat. Vixit enim eo tempore, quo

Moribus antiquis stabat res nostra Virisque.

Tandem aetatis et laborum satur pro ea, qua erat, pietate, novissimorum recordari et se religiosissime ad aeterna gaudia praeparare pulchrum esse duxit et vel maxime necessarium. Nec defuit ei tempus tam religiosis exercitiis impendendum, cum annum

propter comparatam sibi in signem eruditionem sub Decano Joh. Scharfio An. 1648. Magister meruit salutari. An. 1650. Rector scholae patriae constitutus fuit et post biennium Archi-Diaconus Bartphae a Martino Vagnero ordinatus. Post decennium, puto anno 1662. omnium consensu, etsi vel maxime deprecaretur, Pastor primarius 3. April. denominatus et sine ulteriori mora 6. ejusdem per emeritum Diaconum Franc. Németh ecclesiae praesentatus fuit, sed quod satis dedolere non poterat, an. 1664. saeviente iterum peste, 8. Oct., postquam ex iis verbis: es muss einmahl gestorben seyn, pro concione dixisset, 5. hora vespertina malo contagioso correptus die 10. Oct. in Domino mortuus et 12. ejusdem in magna populi frequentia prope magnum altare in templo majori Leutschoviensi contumulatus fuit. Conf. in hanc rem Sebastiani Fabritii Spinam pungentem. In conjugem duxerat Margaretham Maletarianam, ex qua susceperat filiam Dorotheam, quae orba parentibus felici omine Casparo Szontagh Igloviensi, modernorum Dom. Szontaghiorum avo nupserat, sexus sui decus et ornamentum.

i) M. Jöh. Windisch apud Leutschovienses natus est, magna parentum cura sub disciplina M. Stanislai Horleri domi educatus. Confirmatis Wittembergae studiis an. 1632. in patria gymnasii Conrector et paucum post tempus Rector constitutus, provinciam sibi commissam ad an. 1643. cum utilitate tuebatur et eodem anno officio sacro apud Várallyienses admotus fuit. Qui uti vir erat eruditus, ita semel atque iterum XXIV. Regalibus Ministris nomine Senioris moderabatur. Váralyino Schemnicium translatus et Pastorem ibidem et Seniore Civitatum Montanarum egit. Filiam suam Susannam ex filia magni Zabeleri natam Julio a Landsee senatori Schemniciensi an. 1661. elocavit et duos filios, Johannem et Georgium Windisch, Wittembergae an. 1668. et seqq. sub Quenstedio atque Deutschmanno feliciter educavit atque demum fessus laboribus relicto sui apud multos desiderio, haud inglorius placide in Domino mortuus est.

fere integrum lecto affixus, inter preces et suspiria exigere habuerit necessum. An. enim 1644. die 5. oct., postquam se ad lectum composuisset, apoplexia tactus, anno demum sequente 1645. 22. mens. Sept. et quidem malo contagioso finem vivendi fecit, postquam I. ecclesiae Leutschoviensi annis 43. nomine Pastoris prae-fuisset. Hanc jacturam oppido gravem tanto aequiori animo I. ecclesia Leutschoviensis toleravit, quanto magis successorem nactus fuit Zabelerus eruditione parem. Christophorus enim Schlegelius, sacrarum litterarum Doctor, post pia Zabeleri fata, stationem Pastoris primarii apud Leutschovienses cum dignitate tuitus est, postquam 10. Nov. an. 1647, a M. Rohrmanno Pastore Cassoviense solenni ritu fuisset introductus. Hinc arbitrari potes, Leutschovia ad clavum sanctioris reipublicae Evangelicae semper sedisse viros eruditione, gloria majorum et meritis graves, atque adeo immortalitate multo dignissimos, quam ei felicitatem in posterum quoque omnes boni mecum ex animo comprecantur. *)

Martinus Wagnerus.

Non est mihi animus omnes Wagneros, qui eruditione et praeclaris in rem Evangelicam meritis floruerunt, hac vice percensere, cum id et prolixum foret et ab instituto meo alienum, sed de Ven. Superintendente Martino Wagnero, Bartphensium olim Pastore meritissimo commentabor. Purior ille coctus, qui repurgata per Lutherum religione Bartphae primum a) Deo colligebatur, inclytam

*) In Matricula Goltziana p. 254. ad an. 1616. ipse M. Petrus Zabelerus haec adposuit: ipso Trin'itatis festo 29. Maji Domini Fratres 24. Regales honorificenter deduxerunt ad sepulturam meam Annam uxorem lectissimam et charissimam, quae mihi in conjugio per breve tempus, sedecim ferme annos, pie, caste, et pacifice, unoque ut verbo eloquar, fideliter conhabitavit, cujus memoria est et manebit in benedictione sempiterna (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e)

a) David Godofredus Arnoldi ecclesiae Bojanoviensis in Polonia Pastor et Ministerii Senior in libello, cui titulus: Christlicher Lehrer Ruhm, Thun und Lohn. p. 16. Laurentio Quendel, qui a Melanchtone Serpilius demum appellatus fuit et Belae in 13. oppidis Scepusiensibus docuit, primam Reformationis in Hungaria laudem tribuit; quod tamen cum veritate conciliari non potest, cum Stöckelius 1539. Wittemberga redux doctrinam Evangelicam magno studio apud Bartphenses tradiderit: Serpilius autem nonnisi a. 1541. redierit, neque aute exitum in Germaniam de Evangelica doctrina plenius informari otuerit.

hanc gentem domesticam sibi fecisse videbatur. Nam etiam si Várallyienses, Cibinienses et alii sacro Wagneriorum ministerio fuerint usi: nemo tamen Bartphensibus sive diutius, sive exstantiori cum emolumento. Uti enim post emendata sacra Bartpha omnium maxime florebat: ita cum res ejus integrae essent, alebat viros omni praedicatione mea superiores. Quis enim est, cui Leonhardus Stöckelius *b)*, vir ad omnem posteritatem memorabilis, Thomas Faber *c)* et cujus nulla unquam oblivisci debet poste-

b) Leonhardus Stöckelius, quem Lampius in *Historia Ecclesiae Reformatae* p. 684. vitiose Strobelum appellat, Bartphae 1510. patre fabroferrario senatore et tandem iudice natus, studuit primum Cassoviae sub Valentino Coxo anglo Rectore Cassoviensi, dein Vratislaviam delatus non tantum M. Andreae Vinklero Typographiae conditori, sed etiam Joh. Metzlero J. U.D. adhaesit et graeca haud vulgariter ab eo didicit. Hic, cujus benevolentia utebatur, mercaturae eum applicare gestiebat, quam ille conditionem declinaturus Witttembergam commigravit et Lutherum, Melanchtonem atque Pomeranum per annos 13. veneratus est. A Luthero Islebiensibus commendatus per annum scholae ibidem Rectorem egit et quia ei cum Islebio antinomorum duce convenire non potuit, an. 1539. in patriam redux scholae Bartphensi non 33., uti M. Daniel Lani in dedicatione illa Igneae veritatis Columnae praemissa, sed annis 21. praefuit, ut posterius ejus testantur in dedicatione Postillorum an. 1591. Bartphae impressorum. Conscripsit Confessionem Christianae doctrinae 5. Lib. Reg. Civitatum in Hung. Sup. Augustissimo quondam regi Ferdinando 1549. exhibitam et an. 1613. per Joh. Fischerum Cassoviae impressam, cujus exemplar Antonio Verantio, qua Episcopo Agricensi 1560. exhibitum et cum Archiepiscopo Strigoniensi constitueretur, iterum 1573. oblatum fuit. Haec Confessio ab Augusto Rege Ferdinando et Praesule Strigoniensi acceptata, tanti habita fuit, ut non tantum omnes Ablegati in Synodo Bartphensi an. 1564. lubenter ei subscriberent, sed etiam Ministerio adplicandi eidem subscribere tenerentur. Disputabat Stöckelius contra Franc. Stanckarum Mantua Italum, qui mutata semel atque iterum religione in Art. de persona Christi et Coena Domini aperte delirabat. Hunc Stöckelius aliquot Disputationibus confusum in Transilvaniam abire coegit. Scripsit praeterea Postilla, quorum jam facta est mentio, Apologiam ecclesiae Bartphensis an. 1558. Item Annotationes locorum communium Phil. Melanchtonis Basileae 1561. Dies erat Veneris ante ferias SS. Trinitatis dicatas, quo post 2. mensium dolores an. 1560., aetatis 50. beate in Domino mortuus est, relictis filiis Johan., David. et Leonhardo, totidemque filiabus Anna, Dorothea et Fide, vir de re Evangelica apud Hungaros longe meritisimus, dignus, cujus nomen immortalitati commendetur.

c) Thomas Faber Rector Bartphensis, unus ex assertoribus veritatis, qui Lutherum sequuti, quantum valeat veritas, palam ostenderunt. Hic

ritas, Severinus Sculteti *d*) et multo plures ignoti esse possint-
quibus Wagnerii in propaganda et asserenda veritate Evange-
lica nibilo fuerunt inferiores. Ut enim M. Valent. Wagnerum *e*)
sileam, certum mihi est et exploratum, Martinum Wagnerum *f*)
Bartphensium Pastorem et Lib. Reg. Civitatum Seniore, coetui
sibi commisso magna cum laude praefuisse et erroribus tacite
disseminatis forti animo et magna adcuracione restitisse *g*), J. A.

scripsit Historiam Pauli Thurii, qui ecclesias Lutheranas dogmatibus Calvi-
ni graviter turbabat, cujus operae mentionem fecit Sev. Sculteti in Hypom-
nemate fol. 22. Obiit Faber, officio egregie perfunctus an. 1592., uti Joach.
Leibiczerus in Verzeichniss etlicher geschehener Dinge adnotavit.

d) Severinus Sculteti Lehota Soliensis slavus fuit apud Eperjesienses an.
1589. primum Conrectoris, dein procedente tempore officio Rectoris defun-
ctus. An. 1591. Bartpham vocatus, per Ministerium Graecense sacris ordini-
bus initiatus est, uti in Praefatione Erotematibus suis praemissa ipse confi-
tetur. Hac occasione interfuit Colloquio illi Csepregiensi, cujus historiam
nobis reliquit, Spect. quondam Greg. Horváth Stansith de Gradez, qui ei-
dem Colloquio interfuit, uti in superioribus hac de re fusius dictum est. An.
1593. Sculteti noster in Seniore Lib. Reg. Civitatum electus fuit, a Leon-
hardo Huttero in Concordia Concorde Cap. LV. p. 1408. laudatus. Scripsit
Erotemata de Communicatione Idiomatum. Item Hypomnemata sive Admo-
nitionem ad Lib. Reg. Civitates de conservanda religione Evangelica. Pro-
diit liber in IV. Bartphae litteris Davidis Gutgesell. Postquam strenuus pro
veritate laboravisset, obiit veritatis egregius adsertor 30. Jun. an. 1600.
Hoc miror, quod Joachim. Leibiczerus tanti viri non satis aequus fuerit aes-
timator, uti ex ejus opusculo proxime citato colligi potest *)

*) Puer venit Bartpha haud dubie studiorum causa 1565., ut ipse testa-
tur in Hypomnemate suo p. 28. R. Broznensi successor 1574. Petro Bergero
1575. Eperjesinum vocatus.†

Si 1600. mortuus est, in aetatis flore decessisse videtur, vix quinquage-
narius. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e i).

e) M. Valentinus Wagnerus graecarum litterarum doctissimus fuit, in
reformandis ecclesiis Transilvanicis M. Joh. Honteri fidelis adjutor, de quo
et Catechesi ejus graeca videri potest Lampe in Historia Ecclesiae Reforma-
tae p. 683.

f) Iste Martinus Wagnerus cum Superintendente nostro confundi non
debet. Hic enim Neosolii natuo mortuo Rev. Schadero an. 1580. Bartphae
Pastor et in Synodo Cassoviae celebrata an. 1588. Lib. Reg. Civitatum Seni-
or factus 26. Nov. an. 1590. in Domino obiit et Severinum Sculteti successo-
rem nactus est, cum vix Superintendens noster triennium vitae explevisset

g) Quam fortiter bella Domini gesserit Wagnerus, vel ex controversia

cobum item Wagnerum *h*) felicissimum Superintendentis nostri patrem profusa cum utilitate apud Bartphenses laborasse. Hoc igitur Patre an. 1587. apud Bartphenses natus, nihil unquam elaborabat magis, quam ut ex voto optimorum parentum adolesceret et claram Wagneriorum familiam amplissimis in puriorem Dei coetum meritis haud vulgariter illustraret. Nec intervertit fortuna conatus ampliandae gloriae divinae destinatos. Postquam enim ex arbitrio Superiorum ita adolevisset, ut magnum cum tempore virum haud obscure minaretur et in dies ampliora eruditionis suae ederet documenta, an. 1607. Thorunium *i*) et exacto biennio Gedanum, Regiomontum, Francofurtum, Lipsiam et Wittembergam concessit et imprimis Balduinum, Francium aliosque viros duces sequutus est. Anno 1612. felici omine in patriam reducem Bartphenses, nominis Wagneriani studiosissimi, tanti eum faciebant, ut non solum Ministrum venerarentur, sed etiam

Pilciana facili negotio colligi potest. Caspar enim Pilcius Topschensis *) quondam et dein Marcivillanus in Scepusio Pastor, ediderat theses et regulas quasdam ad mentem Calvinii, quas Bartphenses et schola Eperjesiensis an. 1586. in examine regularum Pilcii refutaverant. Hic dum assertionem regularum suarum evulgasset, Jacobus Wagner Minister, Thomas Faber Ludi Rector Bartphensis et Severinus Sculteti Rector Eperjesiensis mutua opera ex Schedis Martini Wagneri, de quo agimus, Apologiam Examinis sui statim post ejus obitum Bartphae 7. Dec. an. 1590. ediderunt et inania Pilcii effugia litterato orbi clarissime manifestata egregie retulerunt.

*) Pilcius nunquam V. D. M. Dobschinae fuit (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

h) Jacobus Wagnerus fuit primum Severini Sculteti Bartphae Diaconus, dein 1596. Várallyiensis, tandem Cibiniensis et postremo Bartphensis Pastor, non solum Superintendentis nostri, sed etiam Leonhardi Wagneri Rectoris et demum Ministri apud Bartphenses meritissimi felix pater, vir multis nominibus posteritati commendatus.

i) Uti olim, ita imprimis superiori seculo cives Hungari meliorum litterarum gratia Thorunium adire in partem felicitatis collocabant, de quo Schediasma Joh. Georg. Lippischii sub titulo: Thorunium Hungarorum litteris deditorum Mater, Jenae an. 1735. in IV. editum videri potest. Horum fere primus fuit Wagnerus noster, de quo Cel. Junior Jacob. Zabelerus Professor Thoruniensis memoriae prodidit, quod inter Hungaros Thorunii

Wagnerus professus erat sua nomina, eujus
Bartphae olim ornatum doctum caput infula duplex.

Vid. Zabelerus de claris gymnasii Thoruniensis hermathenis p. 309. seq.

successu temporis provinciam Pastoris primarii commendarent, cum exstanti omnium utilitate, uti non male divinabant, administrandam. Hanc ille stationem magnorum virorum iudicio et totius sibi commissi coetus adprobatione ita tuitus est, ut mortuo M. Petro Zabelero nemo in tanta virorum multitudine sive dignior, sive aptior inveniretur, cui sacra illa Superintendentis provincia meliori jure credi potuisset. Vix ergo in Lib. Regi-
aque Civitate Cibintensi causa eligendi Superintendentis sacra illarum partium Synodus coacta fuit, omnium, qui convenerant, suffragiis Martinus Wagnerus Zabeleri successor nominatur et absque ulteriori mora ibidem 1. Nov. anno 1645. usitato apud Evangelicos more confirmatur. Eodem die, quo ipse renunciatus erat Superintendens, Cibinii in praesentia omnium ablegatorum Adamum Braxatoris Berthotenum, Rectorem Sárosiensem, in Diaconum ejusdem ecclesiae et Christ. Paulum Possium in Pastorem Mislaviensem *k*) ordinavit. Erant tum adhuc ea tempora, quibus Evangelici indulgentia Augustissimorum Regum copiosas in Hungaria possidebant ecclesias; hinc fiebat, ut ei praeter labores, quos amplissimum Pastoris officium requirebat, etiam frequentes Ministrorum ordinationes, curas et fatigia non parum adaugerent. Nemo enim Superintendentum in hoc I. Districtu superioris Hungariae fuit unquam, qui Wagnero numero Ordinatorum superavisset; cum ultra bis centum viris, quod ex documentis omni exceptione majoribus didici, ordines sacros contulerit. De eruditione, quam vivus multis argumentis contestatus est, de pietate, quam perpetuo habebat sibi multo commendatissimam, et indomita laborum patientia, cum fervore ampliandae gloriae divinae conjuncta, nihil habeo dicere, cum haec omnibus in oculos ita incurrerint, ut adhuc multis multorum praeconiis celebrentur, et olim jam a Ministerio Bartphensi, gymnasii Praeceptoribus et juventute scholastica prolixè fuerint celebrata. Ita enim laboribus

k) Christophorus Paulus Possius in superiori Austria pago Walern natus fuit patre Alberto Possio ibidem Pastore, matre Anna Stockeriana. Dum pater religionis causa in exilium ire cogeretur, filius Bartpham se recepit et hinc Neosolium atque Cassoviam studiorum amplificandorum causa commigravit, ubi melioribus litteris percultus, commendatione optimi Praeceptoris M. Joh. Polani ad ecclesiam Mislaviensem vocatus et Cibinii ordinatus, primus, ut opinor, familiam Possianam in Hungariam traduxit.

et continuis pro salute coetus divini curis fatigatus fuit, ut an. 1659. vicaria Martini Pfeiferi et hoc an. 1665. Diaconi stationem occupante; Jacobi Zabeleri opera, dignitatem suam tueri habuerit necessum. Neque tamen penitus se a laboribus abstinuit, sed etiam morti vicinus Joh. Fabritium ¹⁾ lecto affixus in domo sua ordinavit et consummato feliciter vitae cursu, non sine omine ipso die magnae illius eclipsis solis, quae in 2. Jul. inciderat, an. 1666. hora 4. vespertina annos 79. natus vitam cum morte commutavit, 7. ejusdem mensis adulto Evang. more contumelatus. Ex eo tempore propitia Bartphensium fata redintegrari non poterunt. Etsi enim semel atque iterum pristina illa tempora sensim redire videbantur: tamen rursus infinitis modis exagitati ita decreverunt, ut vix umbram avitae illius libertatis retinuisse videantur. Efficiat pro sua bona bonitate Deus, ne unquam pusillus ille grex ita miser sit, ut, qui cum gaudio Evangelium receperat, cum dolore a possessione ejus deturbetur.

Michael Liefmannus.

Dum Annales Ecclesiasticos, qui in tanta documentorum raritate reperiri possunt, eo, quo par est, studio replicamus, ignotum nobis esse non potest, uti ex aliis ditionibus, ita vel maxime ex Ducatu Silesiae in Hungariam advolasse viros, opportunitatem Deo ministrandi et hunc aliumve coetum Dei puriorem erudiendi praestolatos. Huc retuleris optimo jure Langfeldios ^{a)}, Dolovicenos

¹⁾ Joh. Fabritius Szokolczensis patre Nicolao Bohemo exule, matre Ludmilla Müller an. 1637. natus, dum in praecipuis patriae scholis succrevisset, commendatione optimi Praeceptoris M. Hilarii Ernesti Binneri a Spect. Dom. Gabriele Bakos Csetnekinum in Rectorem evocatus fuit, quem etsi post biennium ecclesiae Cserenciensi apud Kis Hontenses praeficere cogitarit, senatus tamen Cassoviensis Fabritium ad regendam ecclesiam Szent Ivanensem vulgo Kosztolán devocat et Bartphae 10. Jun. an. 1666 naufragari sinit. Vir fuit multo utilissimus.

^{a)} Ex Langfeldiis innotuerunt mihi Joh. Georg. Langfeldius Silesius, Minister Igloviensis in Scepusio an. 1646. ordinatus et Christ. Langfeld frater ejus, primum Rosnaviensis, dein Georgiomontanus Rector et postremo Menhardivillensis Pastor, an. 1654. sacris ordinibus initiatus.

b), Plochios c) et de quo alibi erit dicendi locus, Georgium Tra-
noscium Teschinensem. Inelyta cumprimis ecclesia Cassoviensis
superiori seculo Ministerio Silesiorum semel atque iterum frui per-
honorificum existimabat, siquidem non tantum Joh. Blasium Var-
tenbergeno-Silesium ex Universitate Pragensi evocatum sacris or-
dinibus ministerio M. Petri Zabeleri 28. Maji an. 1614. initiari cu-
ravit: sed etiam nostrum Michaellem Liefmannum Pastorem et
Superintendentem venerabatur. Natus fuit Liefmannus Halber-
swerdae in ditione Glaczensi an. 1619. variis, dum viveret, fatis
exagitatus. Postquam enim ex sententia majorum melioribus litte-
teris animum adjecisset et spem faceret in dies ampliorem, Tho-
runium primum, dein Vratislaviam missus fuit, studia, quibus se
totum tradiderat, amplificaturus. Sed uti animus ad majora natus
uno aliove loco contineri nescit, ita neque Liefmannus satis esse
existimabat apud Vratislavienses commorari; verum Francofurtum
commigravit et postremo, ne quid ei deesse videatur, Wittember-
gam concessit, confirmatis ibidem studiis. finem litterariae pere-
grinationi impositurus. Sed uti ex vulgari sententia

Commoditas quaevis sua fert incommoda secum:
ita Liefmannus idem necessum habebat experiri. Wittembergae
enim commoratus, dum an. 1647. Dominica tertia Adventus hora
7. et 8. vespertina cum M. Daniele Kleschio d) et hospite suo

b) Georgius Doloviceni, Krumbachiensis Pastor Silesius et filius ejus-
dem nominis ad ecclesiam Pilgramsdorffiensem an. 1651. ordinatus, ne
plura de majoribus nobilissimae familiae percenseam, quae dudum utrique
statui viros multo utilissimos sufficiebat.

c) Christophorus Plochius in Silesia patre Joh. Plochio ducum Teschi-
nensium Provisore, Matre Hedviga Kobelliana, uti ipse confitetur, an. 1633.
natus, multum adolescens studiorum causa in Hungariam missus fuit et con-
firmatis Solnae apud Eliam Ladiverum studiis, per Ill. C. Gabrielem Illyés-
házy ad regendam scholam. Teuto-Liptschensem vocatus, per quinquennium
ei cum laude praefuit atque tandem an. 1663. per Ill. Com. Stephanum
Tökölyi et Spect. Balthasarum Horváth Stansith de Gradecz ad ecclesiam
Krumbachiensem promotus fuit. Hinc Liptoviensibus restitutus amplissi-
mae ecclesiae OO. Sanctorum Pastoris et Ven. Contubernio Liptoviensi
nomine Senioris praefuit, vir aetate gravis, quod ex Actis Synodi Rosenber-
gensis condiscas.

d) M. Daniel Kleschius non fuit Iglovia Moravus, uti Auctores Innocen-
tium Relationum ad an. 1714. ordine II. p. 263. existimarunt, sed Hungarus

Petro Rowedero Chirurgo Wittembergensi tesseris luderet contubernalemque suum Godofred. Baumgartenium ex improvise in platea majorem in modum querulose clamitantem audiret, nescius quid agatur, sodali ope sua affuturus discinctus foras prosilit et ab insequente Baumgartenium milite gregario mucrone per collum transverberatur. Conciderat tunc Liefmannus fere exanimis, sed ope Chirurgi hospitis sui et Conradi Victoris Schneideri Medici famigeratissimi non tantum revocatus in vitam, sed etiam pristinae valetudini restitutus fuit e). — Hanc Schneideri operam ita aestimabat Liefmannus, ut eidem in perpetuam grati animi contestationem Disputationem suam sub praesidio Jacobi Martini an. 1648. adversus Becanum habitam, inscriberet. Confecto feliciter studiorum cursu singulari Dei providentia Purschvicii in Principatu Volaviensi an. 1650. V. D. M. constitutus fuit, quam tamen provinciam fatis ita volentibus cum statione Lignicensi commutavit, officio Diaconi ad aedem Petri Pauli defunctus. Hic cum omnia praeclare ageret et quoties se dabat occasio, puriorem doctrinam Evangelicam, magna animi contentione, a corruptelis Reformatorum vindicaret, tantam eorum indignationem incurrit, ut causa securitatis haud raro voluerit eliberari. Hinc dum an. 1665. Cassoviam in Pastorem vocaretur, etsi patriam relinquere durum sit et peracerbum: tamen memor illius, quod Hugo de S. Victore f) prudenter adnotavit: Delicatus ille, cui patria dulcis, fortis autem, cui omne solum patria; tantum abest, ut se Liegnitzii detineri fuerit passus: ut potius collectis rebus suis Cassoviam advenerit, officium Pastoris Germanici consveta cum utilitate administraturus. Nec elusit spem, quam de eo Cassovienses conceperant, quod vel

Iglovia-Scepusiensis, quod inter mille alia ex Privilegio Nobilitatis doceri potest, in quo Kelles, quod apud Hungaros milium significat, appellatur. Hinc, ut opinari licet, ignari linguae Hungaricae Klesch efformarunt. Vitam ejus in Specimine Hungariae Litteratae p. 207. prolixè recenset Czuittingerus, cujus scriptis ibidem p. 213. seq. diligenter consignatis addi debet Solennitas Inaugurationis templi, quod Illust. C. Dom. Sigismundus Tökölyi Liber Baro de Kesmark S.S. et individuae Trinitati religiose consecravit 24. Nov. an. 1669. Prodiit Bartphae typis Civitatis an. 1670. in IV., ut minima, quae haud pauca inveniuntur, hac vice praeteream.

e) Conf. M. Dan. Kleschii Carmen Liefmanno hoc nomine dicatum.

f) Vid. Hugo de S. Victore Didascal. Libr. III.

hinc facili admodum negotio conjici potest, quod non tantum Cassoviensis Pastor et gymnasii Inspector, sed etiam anno statim sequente 1666. mortuo Martino Wagnero omnium consensu Superintendens Lib. Reg. Civitatum, nec non I. Comitatum Sárosiensis et Scepusiensis 15. Jul. Cibinii fuerit constitutus. Quanta cum fidelitate et vigilantia commissam sibi provinciam administraverit, ex prolixa non minus quam erudita D. Samuelis Pomarii Praefatione, Disputationibus suis Theologicis de natura Peccati Originalis praemissa, prolixè cognosci potest. Vix enim annus abierat, de convocanda Synodo, salutari prorsus instituto, consilia agitabat, nec prius conquievit, quam exstanti cum utilitate perfecit cogitata. Convocat igitur an. 1668. Cassoviam Fratres et qui in partem curarum veniebant, ecclesiarum Patronos atque in Curia Lib. Reg. Civitatis Cassoviensis die 6. 7. 8. 9. mensis Martii Synodum agit. Sanctior ille Senatus, postquam sacris operatus fuisset et Ven. Superintendentem pro concione dicentem *g)*, solita cum pietate audivisset, in eo elaborabat vel maxime, ut purior illa doctrina Evangelica in Augustana Confessione et Formula Concordiae comprehensa, illibata ad posteritatem transmittatur. Quod uti omnes non minus lubenter, quam promte se facturos receperunt, ita quotquot aderant Verbi divini Ministri, aderant autem numerosi satis *h)*, sponte sua ad contestandam promptitudinem suam Formulae

g) Ven. Superintendens occasione Conventus illius ex Psalmo CXXXIII pro ea, qua erat, eruditione et facundia chordam concordiae synodicam explicabat et qua ratione Synodus celebrari debeat, demonstrabat.

h) Intererant Synodo huic, ut sciant posteri, ex Ministris Lib. Reg. Civitatum sequentes: Cassovia praeter Ven. Superintendentem, M. Adamus Kis, Hungaricus Pastor, M. Christ. Eccardus Germanorum, et Georg. Fischerus Slavorum Minister. Leutschovia M. Christianus Seelman, Pastor, M. Joachimus Erythraeus et Mart. Adami Germanorum et August. Layany Slavorum Minister. Bartpha Mart. Pfeiferus Pastor, Jacobus Zabelerus Germanorum et Paulus Kray Slavorum Minister. Eperjesino praeter D. Pomarium, Joh. Sartorius Pastor, Joh. Müllerus Germanorum, Georg. Kurianyi Hung. et Joh. Rosaldes Slavorum Minister. Cibinio Joh. Regius Germanorum et Andr. Galli Slavorum Pastor. Kesmarkino M. Thomas Greeb Pastor, Aug. Serpilius Germanorum et Joh. Gamius alias Schwadba *) dictus, Slavorum Minister, ne quid de Jacob. Quirino Pastore Sárosiensi et reliquis dicam.

*) Schwadba rectius (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

Concordiae subscripserunt *†*), ne quid de aliis in eadem Synodo prudenter constitutis percenseam. Certe uti semper, ita hac cum primis opportunitate Liefmannus profundam eruditionem suam et in rebus ad Ministerium pertinentibus experientiam, laborem indefessum, et singularem in tractandis rebus dexteritatem, cum morum gravitate conjunctam, ita contestatus est, ut nemo fuerit prorsus, qui non eum commisso sibi officio pro dignitate respondisse fuisset arbitratus. In examinandis sacri Ministerii Candidatis strictus admodum fuit et rigorosus. Metuebat enim, ne cui conferat ordines, qui sive desultoria animi levitate, sive vita prostitute acta id efficiat, ut tam sacro sancto officio indignus habeatur. Sed quod maxime cavit, id eidem praeter spem evenisse, tristis admodum com^lprobavit eventus. Adamus enim Roszinszky *k*) homo omnium maxime temporarius, cui Liefmannus an. 1666. primum imposuerat manus, a sacris Evangelicis defecit et ex more religionis Licentiatatus factus, ita nostris licentiose infestus fuit, ut unus omnium proprio exemplo maxime docuerit, homines licentia fieri deteriores. In eo ecclesia Cassoviensis et quotquot directioni ejus suberant, fortunam minus propitiam accusare videbantur, quod tanto viro,

†) Erat tempus, quo quinque Lib. Regiaeque Civitates Formulae Concordiae subscribere recusabant, etsi satis superque urserit Albertus Graverus occasione Synodi an. 1597. Leutschoviae celebratae. Sed id non ideo factum est, quasi eam improbarint, cum doctrinam in ea traditam ultro libenterque susciperent; sed propter rationem civilem. Venerant enim apud Ferdinandum Imperatorem propter errantes hinc inde Anabaptistas in suspicionem, quasi ab Augustana Confessione recesserint; hinc non tantum peculiarem Confessionem, Augustanae illi conformem, per Leonhardum Stöckelium Lutheri discipulum conscriptam Ferdinando Imperatori an. 1549 exhibuerunt, sed etiam liberum ejus exercitium consequuti sunt. Hinc ne propter mutatae Confessionis suspicionem illud amitterent, Formulae Concordiae non subscribebant, sed doctrinam in ea traditam ultro complectebant, et procedente demum tempore Articulum 7. Synodi Solnensis de subscriptione Formulae Concordiae praestanda conditum non tantum receperunt, sed an. 1614. in Synodo Szepes-Várallyiensi totidem verbis repetierunt et quod singulare Dei beneficium est, ultra duo jam secula constanter retinuerunt et retinebunt, ut scio, in perpetuum.

k) Adamus Roszinszky in I. Comitatu Arvensi pago Dubova natus, continuatis studiis fuit Csetnekini Cantor, dein Harhovia Rector, atque tandem in ecclesia Orszoczensi Minister. Hic officii oblitus primum Licentiatatus et dein mutato statu Bartphae Tribunus plebis fuit constitutus.

quemadmodum cupivissent, diutius adhaerere non potuerint. Annus enim erat 1673. Evangelicis in Hungaria admodum infelix, quo Praesul Agriensis Franciscus Szegedi, querelis Sambarianis ^l) et ejus Collegarum inductus, Ministerium Evangelicum Cassoviense, medio Praesidis Camerae C. Joh. de Volckra in custodiam tradi et non prius libertati restitui sinit, quam Reversalibus, quae pro exeuntibus confectae erant, subscriberet, quamvis sub finem ad multa Evangelicorum postulata alternis vicibus ex domo, in qua custodiebantur, egredi et officio suo cum multis suspiriis defungi potuerint ^m). Liefmannus tot tantisque molestiis fatigatus tutiora fortunae perfugia circumspicere et felicibus ventis ad externos redire in animum induxit. Nam etsi biennium abierit, quo apud Wittenbergenses in exilio commorari habuerat necessum: tandem tamen Biernbaumensium in Polonia Minister et an. 1683. Budissae Pastor primarius fuit constitutus, quam ille provinciam titulo Magistri demum insignis magna cum laude administravit. Hunc. etsi Lib. Reg. Civitates ceu Ordinarium Ephorum litteris ex Synodali Sessione scriptis 27. Maji an. 1683. revocaverint, ille tamen in tutiore statione collocatus, prolixa epistola ad Civitates scripta munus hoc declinavit et Lib. Reg. Civitatibus in solidum resignavit aliumque virum in locum sui eligendi potestatem fecit. Quanta cum diligentia et utilitate apud Budissenses officio defunctus sit, non habeo dicere, cum tantum abest, ut a consveta in administrando munere dexteritate desciverit, ut potius in dies eam auxerit magis et se multis nominibus fecerit immortalem, postquam annos 83. natus, Budissae 16. Febr. an 1702. vitam cum morte commutasset ⁿ). Deus Stator rerum Evangelicarum fideles verbi sui Ministros non amplius exulare patiatur.

^l) Matthias Sambar Collegii PP. S. J. Cassoviae Professor, ex iterato conflictu cum M. Joh. Fabritio, Cassoviensis scholae Lutheranae Professore, instituto, erudito orbi notus est. Videri possunt in hanc rem Theses Sambarianae et Fabritii Dissertatio Apologetica: Sambarii ovum Zephyrium et M. Joh. Fabritii Solidissimus coelestis veritatis malleus. Prodiit Cassoviae in IV. sine notatione temporis apud Ericum Erich.

^m) Confer, si placet, D. Samuelis Pomarii Professoris quondam Eperjesiensis Ungerechten Gewissens Zwang. Part. 1. p. 92. seq.

ⁿ) Vid. Joecheri Lexicon Eruditorum sub nomine Liefmanni, qui locum ejus in Superintendentem electionis non Hermanstad, sed Zeben seu Cibinium nominare debuisset. M. Michael Liefman natus zu Wolfersdorf in

Philippus Heutschius.

Natus est Heutschius noster in ditione Scepusiensi litteratorum virorum ut quamplurimum ferace. Quis enim est, cui ignoti esse possint, praeter eos, qui professa opera in brevi hac Commentatione describuntur, Mollerii, Pelcii, Froelichii, Güntheri, Kleinii, Greebii et multo plures meritis in rem Evangelicam a) ut quamplurimum conspicui. In horum numerum optimo jure referri potest

in der Grafschaft Glatz kam in das Ministerium 1650. zu Merfurt in Wolauschen Fürstenthume, war daselbst als Pfarrer zehn Jahr, hernach zu Liegnitz als Diaconus und Archi-Diaconus an der Kirchen St. Petri et Pauli 5. Jahr, weiter als Pastor Primarius und Inspector der deutschen Gemeine in Cassau ingeleichen als Superintendens der 6 königlichen Freystädte in Oberungarn und des Marktes Scharosch 9 Jahr. Da ihn die grosse Papistische Verfolgung betroffen und er vor seinem Abschiede 5 Viertel Jahr lang Arrest in seinem Hause halten müssen, bis er A. 1674 aus Ungarn in das Exsilium vertrieben worden. In währenden Exsilio hat er sich zu Bresslau und Wittenberg in die 2 1/2 Jahr aufgehalten, darauf er nach Birnbaum in Gross Pohlen vociret worden, als Oberpfarer, wie auch Consenior der vereinigten Evangelischen Kirchen in Gross Pohlen Augspurgischer Confession zugethan, allda der Kirchen Gottes gedienet 7 Jahr, leztlich aber nach Budissin beruffen als Pastor Primarius und Inspector Scholae, that Dom. Septuag. A. 1684 seine Anzugs Predigt, starb den 16. Febr. 1702. A. erat 82 natus. Vid. Memoria Heydenreichiana, von einem Liebhaber Oberlausitzischer Antiquitäten. 1. 13. C. Leipzig 1717. in 8. p. 82. 83.

a) Hic, ut sciant posteri, nominandi mihi sunt Jacobus Mollerus, sub initium seculi superioris Krigensis Pastor, et filius Daniel Mollerus, primum apud Cibinienses scholae Rector, dein an. 1623. Szent Györgyensium Minister. Gallus Pelczius Felka Scepusius confirmatis Iglauiae in Moravia studiis, fit in villa Michaelis an. 1625. Rector, dein post biennium in patria sub Gregorio Arelt Diaconus et postremo Rusquini Pastor, vir aetate gravis. Inter Froelichios nominandus est Johannes Várallyiensis et Kesmarkiensis scholae Rector, dum viveret, non incelebris, et filius ejus Samuel Froelichius, qui ab exteris redux an. 1612. Rosnaviae, dein Liptsae, Marcivillae, Harhovieae, Batisfalvae, Greniczii scholae praefuit et postremo Kietensium apud Gömörienses Pastor factus est; ne quid de Ludovico Várallyiensi Rectore et Davide Froelichio celebri, dum viveret, Mathematico adjiciam. Quod Güntheros attinet, claruerunt, quod scio, Andreas Güntherus Kesmarkiensis, circa an. 1630. Maldurensis et dein Olassiensis Pastor et XXIV. Regalium orator, an. 1667. mortuus, adhaec filius ejusdem. M. Andreas Güntherus, qui studuit Wittembergae et Jenae, ubi an.

Philippus Heutschius Cassoviensium Pastor et Superintendens Várallyiae natus an. 1628. Pater ei obtigerat aequae Reverenda dignitate insignis Philippus Heutschius, coetus Germanici Várallyiensis in Scepusio Diaconus *b)*, mater autem Anna Ladoschia, filii sui longe amantissima. Parentes optimi nihil magis elaboraverunt, quam ut filium felici omine natum iis imbuerent artibus, quibus tenerior aetas ex praescripto ordinis imbui solet. Hinc eum primis pueritiae statim annis in schola patria Danieli Sculteti erudiendum tradiderunt, quem procedente tempore Daniel Peschovius

1658. Magister factus fuit, primum Ollassini vivente patre Diaconus, dein Kapusztalvae an. 1668. Pastor et certamine litterario cum M. Daniele Kleschio non ignotus. Samuel Güntherus Leutschoviensis, primum in patria an. 1693. Conrector, dein mortuo Cl. Melchio Rothio Rector, et postremo Rev. Ephraimi Kretschmeri in Ministerio an. 1706. successor. Kleinii plures sunt, quam quis existimare queat. Clemens Klein sub initium superioris seculi Igloviensis Diaconus et filius ejusdem nominis, primum in Monte Georgii Rector, dein in Villa Michaelis circa an. 1623. Pastor. Hujus filius Michael Klein an. 1646. ex Academia Regiomontana redux fit sequente anno Felkensis Diaconus et post Megalomnicensis Pastor. Bartholomaeus Klein Leibicensis confirmatis Wittembergae studiis an. 1660. redux post annum in Schtoos Minister factus est. Valentinus Klein Ollassini an. 1643. natus continuus 14. annis Eperjesini sub M. Joh. Bayero et M. Isaaco Zabanio, et ingruente persecutione in Transilvania Cibinii sub M. Johanne Fabritio et Zabanio docentibus ibi exulibus annis 9. studuit. Requiescente demum patria in Villa Palmarum 1683. Minister fuit constitutus, ut Bartholomaeum Klein Cibiniensem, Michaellem olim Bartphensem Diaconum, jam Cremniciensem Pastorem et Johannem Cassoviensem Ministrum, Dei munere superstites, et cum proluxa utilitate in vinea Domini laborantes, hac vice taceam. Greebios quod concernit, praeter Martinum primum in schola Kesmarkiensi Praeceptorem, dein circa an. 1650. Menhardivillensium Ministrum, memorandum mihi est M. Thomas Greeb aequae Bellensis, qui confirmatis aequae Dorschaeo studiis an. 1653. in patriam rediit et anno sequente Bierbronnensium Minister, atque procedente tempore Kesmarkiensium Pastor fuit constitutus. Num hic post toleratum fortiter exilium Vratislaviae obierit, ut Trusius adnotat, non definitio.

b) Philippus Heutschius Senior Hunnisvilla Scepusius studuit ut plurimum Leutschoviae, dein in Austriam et Bohemiam transiit et in Civitate Tábor Baccalaureo Georgio Taciturno Praeceptore usus est. Hinc in patriam redux in diversis apud Scepusienses scholis et vel maxime Várallyiensi praefuit, ibidemque Diaconus factus est. Hinc adTopschenses vocatus, rebus bene gestis an. 1657. finem vivendi fecit, relicta Topschae, quae hucdum superest, posteritate.

c) Rosnaviae, Tobias Pollucius Igloviae et M. Elias Kreuchelius Bartphae, ita expoliverunt, ut omnium sententia in Universitatibus cum utilitate studiis operari posse crederetur. Hinc arbitrio Ven. Patris Wittembergam profectus, ita tempus studiis destinatum collocavit, ut post biennium prodire in publicum et nihil non egregii ominari videretur. Postquam felicibus auspiciis rediisset in patriam, Varallyae apud Scepusienses tantisper commoratus est, usquedum an. 1653. Olassinum ad functionem scholasticam vocaretur. Hic commissam sibi provinciam per annos 4. tanta cum dexteritate obibat, ut prius ei nova honorum accessio fuerit destinata, quam vel ipse arbitraretur. Obierat diem supremum Ven. pater ejus Topschensium Verbi Divini eo tempore Minister, qui cum adulto more contumulari deberet et filium ex praescripto pietatis funeri adesse oporteret, communi Topschensium consensu in locum patris sublectus a Ven. Superintendente Wagnero 21. Jan. an. 1657. inauguratus fuit. Vix solennem publice docendi libertatem adeptus est, tantam fidelissima officii sui administratione nomini suo comparavit commendationem, ut fuerint non pauci, qui opera ejus perfrui desiderarint*). Nec fuit omnino diuturna ei apud Topschenses mansio, siquidem post quinquennium purior Dei coetus Cassoviensis, cognita viri fidelitate, non prius conquievit, quam eum an. 1662. evocatum coetui Germanico praeficeret. Cassoviam delatus tanta cum dexteritate officio defunctus est, ut Ven. collegarum anteiverit eum nemo**). Id vel hinc pronum est existimare, quod unus om-

c) Daniel Peschovius Scepusiensis fuit primum Rosnaviae Rector, dein procedente tempore Menhardivillensis Pastor, et subinde XXIV. Regalium Senior an. 1667. mortuus.

*) Vid. Joh. Burii Micas p. 753. seq.

***) Phil. Heutschius jam an. 1663. in Aprili fuit in Matthaevilla Pastorum ad Superiorem Popradum Consenior.

Philip. Heutschius jun. an. 1667. d. 13. Nov. fuit Pastor Matthaevillae et Fraternalitatis ad Superiorem Poprad. Senior, at 1672. d. 4. Febr. Pastor Matthaevillensis.!

An. 1665. d. 9. April. qua Pastor Matthaevillanus erat missus legatus ad arcem Lublyo et an. 1670. 19. Nov. qua Pastor Menhardt. receptus est in Fraternalitatem 24. Regalium. — Fuit jam an. 1663. in Aprili in Matthaevilla. An. 1669. pridie Nonarum Apr. adhuc fuit in Matthaevilla Pastorum ad Superiorem Poprad Consenior (M á s v a l a k i n e k j e g z e t e i.)

nium dignus fuerit aestimatus, qui Ven. Superintendenti Liefmanno sufficeretur. Postquam enim Liefmannus post triste exilium iteratam ad obeundum prius officium evocationem *d)* humanissimo deprecaretur, Lib. Regiaeque Civitates cum adjacentibus Inc. Comitatus haud incogitate existimarunt, Heutschium longo rerum usu praeparatum, ita hoc quicquid est officii administratum, ut nulli sive querelae, sive offensae locus sit unquam. Nec fefellit eos cum ratione facta divinatio. Experiendo enim didicerant, Heutschium eum esse virum, qui religionis Evangelicae causa et molestos carceres tolerare, et subire exilium in lucris deputaret. Eadem namque fata, dum invalesceret an. 1673. persecutio, bono Heutschio fuerunt subeunda, quae Rev. condam Liefmannus experiri habuerat necessum *e)*. Simul vero ac Augustali Leopoldi Imperatoris clementia miseris exulibus in patriam redire fuisset indultum et publico Regni Conventu an. 1681. Sempronii *f)* celebrato constabillitum, Heutschius Cassoviam revocatus et provinciam Pastoris primarii diligenter obibat et officium Superintendentis communi sententia an. 1683. in Synodo Bartphae 26. Jul. seqq. celebrata

d) Videri potest Commentationis hujus p. 70.

e) De fati Ministerii Cassoviensis vid. Commentationis hujus p. 70.

f) Solemne hoc est apud gentem nostram hungaricam, ut Conventus Regni, quos Diaetam appellant, toties celebret, quoties idem Regno ex utilitate fore *) adverterit. Hinc an. 1503. constitutum erat, ut Diaeta singulis annis celebretur, quod procedente tempore in alterum, atque demum in tertium quemque annum rejectum fuit. Vid. Cynosura Jurisperitorum sub voce Diaeta. Talis Conventus fuit an. 1681. Sempronii die 28. Aprilis et sequenti mense celebratus. In hoc communi Procerum sententia Articuli 87. consignati et eodem anno 30. Decemb. ab August. Imperatore Leopoldo Viena confirmati fuerunt. Inter hos Articulos XXV. et seq. non tantum liberum religionis exercitium, juxta anni 1608. Articulum 1. constabillitum, sed etiam, ut habent verba Articuli, Praedicantibus et Scholarum Magistris alias vel proscriptis, vel propter certas Reversales munia suae professionis exercere non valentibus, liber in Regnum reditus liberaque religionis suae professio et exercitium, cassatis eatenus etiam ipsorum Reversalibus, concessum fuit. Hinc non pauci clementiae Leopoldi Imperatoris confisi in patriam reverterunt, inter quos praecipui M. Martinus Tarnocius, Georgius Czemberus, Joh. Sextius, Milochovinus, Fischerus, Orlichius, Sinapius, Masnicius, Simonides et noster, de quo commentamur, Heutschius.

*) Nunc quoties Principi ex usu esse videtur (Más valakinek jegyzete.)

sibi collatum ita administrabat, ut jacturam boni Liefmanni haud vulgariter compensaret. Nam postquam coetui Evangelico requies conciliata fuisset, tam frequentes inaugurandi erant Ministri, ut unus Heutschius plus quam triginta viris intra brevissimum tempus sacros conferre ordines debuerit. De vita inculpate peracta, patienti ejus animo et diligenti non minus, quam laboriosa utriusque officii administratione ex superioribus arbitreris. Utinam plures ferat Heutschios nobilissima Scepusiensium ditio, in quo nihil desidaveris amplius, quam quod brevi admodum tempore sacratori hoc perfunctus fuerit officio. Vix enim abierat triennium, dum inevitabili mortis lege rebus humanis interesse desierit, an. 1686., postquam vivendo annos 58. explevisset, placide in Domino mortuus. Efficiat Deus, ne puriori coetui Evangelico Cassoviensi desint Ministri, majoribus suis et doctrina et fidelitate pares *)

*) Joh. Sárosy in funebri concione Heuschio hungarice habita sic : midőn halála előtt egynéhány nappal látására el mentem volna, kezemet meg fogván igen lassu szóval azon kér vala, hogyha Isten e világból ki szollítja, ezt a mondást magyarázzam a teste felett : ha szintén meg ölend is engem az Ur, ő benne bizom. Jóh. XIII. 15. I b i d e m in P r a e a m b. kettős negyed napi heves hideglelésnek keménysége által ez árnyék világból ki mulék. I t e r u m in P r a e a m b u l o : Te német cassai gyülekezet meg fosztattál Christus követétől, a kit ez előtt tsak más fél esztendővel küldött vala hozzád. I b i d e m in C o n c l u s i o n e : Valaki ötet ismérte, az egy jámborságnál, tökéletességnél, kegyességnél és tsendességnél egyebet fellőle nem mondhatott, mindazonáltal a keresztben és a nyomoruságban ő néki is része volt. Része volt az üldöztetésben, része volt a számkivetésben, mert a Jézusnak tanúbizonyosság tételejért édes hazájából ki üzetettvén, idegen Országban kell vala néki bujdosni, a holott mennyi hideget, meleget, mennyi éhséget, szomjuságot, mennyi szükségét és nyomoruságot szenvedett, sohajtva beszélni vala néha előttem. Melly hoszszas bujdosásából idő szerint is meg szabadította vala ugyan a Jó Isten és mint Jóbot meg áldotta vala annyiból, hogy mind nevezetesebb helyben állította, mind pedig Superintendensi méltóságra is emelte, a mellyben is Istenessen, kegyesen viselte önne magát, mint addig, mig nem az Isten újabb keresztet és nyomoruságot bocsátott reája ; mert ezelőtt egynéhány héttel kettős heves negyed napi hideglelésben esvén, minden erejétől megfosztattatott, mindazonáltal mind ilyen sullyos és nehéz nyavalában is nagy békességstörést mutatott, és tsak az ő Istenében helyeztette bizodalmat ezt mondván : Ha meg ölend is etc. Sőt midőn még is arra intettem volna, hogy a mely Christust prédikállotta, ahoz ragaszkodják, annak hitében haljon meg, és attól várja erős bizodalommal a ditsőségnek koronáját : ugyan azokkal azt mondja vala : Hogy igen is ahoz ragaszkodik, abban bizik,

Jacobus Zabelerus.

Quod acutissimus historiae Jugurthinae de celebri ad omnem posteritatem Carthagine memoriae prodidit: id mutato nomine de Ven. hoc Superintendentente haud incogitate existimaveris, melius esse de Zabelero tacere, quam parum dicere. Verum cum immortalia ejus in rem Evangelicam merita me tacere prohibeant, elaborabo diligentissime, ne de tanto viro aut nimium dixisse videar aut parum. Bartpha multorum clarissimorum virorum felix mater, hunc quoque non uno nomine suum fuisse profitetur. Ibi enim an. 1639. patre Jacobo Zabelero, Venerabilis illius Superintendentis filio, et Bartphensium cive dignissimo, matre Margaretha Emericiana, singulari Dei beneficio natus fuit. Dum auspicate succresceret, avum suum tot tantisque nominibus insignem aemulaturus, ex sententia optimorum parentum studiis operari constituit, ne desit in familia Zabeleriana vir sancti verbi divini praedicatione multarum animarum salutem procuraturus. Deus rebus Zabeleri nunquam non propitius ita ejus destinationes fortunabat, ut non minus voto parentum, quam exspectationi Praeceptorum prolixè responderet. Tanto enim in studiis progrediebatur felicius, quanto major in patria discendi fuit opportunitas. Praeerat tum scholae Bartphensi Martinus Pfeifferus *a*), vir ad erudiendam juventutem non parum idoneus, qui nihil intermisit eorum, quae ad felicem fortunatamque Zabeleri educationem pertinere existimabat. Nam praeterquam quod ad omnem pietatem dux ei fuit et auctor: etiam virtutem ac studia ita inculcabat, ut in dies non tantum melior, sed doctior quoque existimaretur, ne quid de M. Joh. Buringero fideli ejus apud Eperjesienses Praeceptore percenseam. An. 1653. lingvae

és annak hitében s tudományában hal is meg, eszében jutattván kétségkívül magának ama Pál utolsó mondását: amaz nemes hartzot meghartzoltam. 2. Tim. 4, 7. seq. (Ugy látszik, más valakinek jegyzete.)

a) Martinus Pfeifferus Bartphensis, patrem habuit Barth. Pfeifferum, matrem Barbaram Schwabin. Studia, quae in patria sub Casp. Seyfriedo familiaria sibi reddiderat, Thorunii, Elbingae et Wittembergae confirmavit. An. 1646. redditus patriae, primum in schola Bartphensi collegam egit, dein 1649. Rector constitutus annis 10. copiosae juventuti praefuit, tandem anno 1659. Wagneri collaborator, an. 1665. Diaconus et post biennium Pastor factus, fervente per Hungariam persecutione an. 1674. beate in Domino mortuus est.

hungaricae amore captus Liskam ad Bodrogum devenerat; sed cum propter invalescentes febres neque ibi neque Patakini diutius commorari consultum videretur; ab affine suo Samuele Jastero domum reductus, iterum M. Pfeifferum ducem sectatus est. Hic quicquid erat temporis ita studiis dedicabat, ut annum ingressus vigesimum dignus fuerit existimatus, qui studiis academicis consecraretur. Hinc majorum arbitrio Jenam delatus, toto, quod ibi exegit, quinquennio Christianum Chemnitzium, Joh. Ernest. Gerhardum et reliquos viros multo celeberrimos ita venerabatur, ut iis, sive docerent, sive alia ratione exercerent juventutem, perpetuo adesse in lucris deputeret. Quam egregie tempus studiis academicis destinatum collocaverit, tum patuit demum, cum patriae restitutus talem se praestiterit, qualem et amici exoptabant et fortunarum studiorumque moderatores, praestolabantur. An. 1664 communi, qui in partes curarum veniebant, consensu scholae patriae Conrector factus, per annum commissam sibi stationem cum laude tuebatur. Quia vero Superintendens Wagnerus aetate gravis et multitudine laborum debilitatus, officio pastoralis pro dignitate defungi non potuit, ejus substitutus qua voce qua scripto designatus et ipsa Dominica Cantate an. 1665. inauguratus fuit. In hunc locum cum se divina providentia sublatus videret, ducendae uxori animum adjecit quo et curas rei familiaris declinaret, et auget in Hungaria familiam duraturam ad posteritatem *b*). Adscivit ergo sibi in conjugem Margaretham Spleni Judicis et Notarii Bartphensis filiam, ex qua eidem an. 1670. filius Jacobus moestiarum et exilii individuus comes natus fuit. Mortuo, uti Zabelerus divinabat *c*), Wagnero, voluntate amplissimi magistratus et consensu Ven. Ministerii in numerum eorum cooptatus atque mortuo Pfeiffero Pastor factus est, eo nomine infelix, quod an. 1674. urgentibus ita fatis *d*) Bartpha exturba-

b) Alias evenit ac speraverat Zabelerus. Nam non tantum filius Jacobus apud Thorunienses Gymnasii Professor aetate et meritis gravis: sed unus etiam ex eodem natus filius, dum potenti Daniae regi cum laude militaret, sine haerede vivere desierunt.

c) Dum minister fuisset renunciatus et usitato more curriculum vitae suae in tabellas referret, ita divinabat Zabelerus: Martine Vagnere! Dissolve optas sic fle. (K u t f ö m b e n i g y v a n).

d) De tristioribus Ministrorum Evangelicorum fatis etsi multa specialia scripta supersint, Danielis et Christophori Kleschii, M. Georgii Lani, Tobiae Masnicii, Johannis Simonide, Jobi Krestànszky, Lampii et aliorum: tamen

tus, Mühlbergae ad Albim in Misnia commorari et acerbum tolerare exilium habuerit necesse. Hoc ei difficilius videbatur, quod cum filiolo vix annos 4. nato fuerit subeundum. An. 1682 restituta jam Evangelicis quiete a tristi exilio Bartpham revocatus commissam sibi Pastoris provinciam tanta cum adprobatione administravit, ut mortuo Heutschio communibus Lib. Reg. Civitatum et adjacentium Comitatum suffragiis an. 1686. Surintendens fuerit constitutus. Putavissent omnes eum quietam Bartphae acturum vitam; sed dum filium suum Jacobum Zabelerum e) in Archi-Diaconum Bartphensem an. 1694. ipso die Michaeli in fastis sacro inauguraret, et manus ex praescripto divino capiti ejus imponeret, solutus in lacrymas lacrymabile et peracerbum fatum exiliumque ominari videbatur et pro sua prudentia futura praevidebat. Nam ut Terentius judicavit:

Isthoc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre; sed etiam quae futura sunt,
Prospicere f).

Et quamvis ex sententia Ovidii lacrymae volvantur inanes; tamen tristis admodum eventus comprobavit, lacrymas Zabelerianas in vanum non decidisse. Anno enim 1699. 30. Jan. occasione Restorationis amplissimi Magistratus Bartphensis mandato Caesareo-Regio per Stephanum Kalmanczay, Commissarium Cameraticum, quem Latini recuperatorem appellant, etiam cum filio Jacobo Zabelero Bartphensium Archi-Diacono a statione deturbatus et triste exilium subire coactus fuit. Sed

hanc in partem conferri meretur Continuatio Historiae Ecclesiasticae Georgii Hornii a Melchiore Leydeckerō continuata Art. 5. p. 119. — 153. Edit. Lugdun. 1687.

e) Jacobus Zabelerus Junior ab exilio an. 1682. redux Eperjesini sub Mart. Dubowszkiō, Bartphae sub Adamo Gubero, Bojanoviae Polonorum sub Emerico Friedvalszy atque demum an. 1688. Wittembergae per quadriennium studia amplificavit. Confecto studiorum academicorum cursu Dresdae filio Rev. Kühnii per annum praefuit et mortuo Adamo Popradio patriae suae Archi-Diacono a. 1694. ejus in locum sublectus est. Post quinquennium Bartpha exturbatus Schemnicii Ministerio defunctus, cum mortuo Ven. patre ejus in locum revocaretur, iterum dulci patria carere jussus, Thorunium concessit, ibi quidquid erat temporis reliquum, in Gymnasio publice docendo confecturus.

f) Vide Terentius in Adelphis.

Non fore perpetuam sperat sibi numinis iram
Conscius in culpa non scelus esse sua g).

Hinc in variis locis latitans officium Superintendentis, cum fatis ita ferentibus nullus esset alter in Hungaria Superintendens, cum praesentissimo periculo administrabat. Nam per quadriennium, quod ei in exilio transigendum erat, XLV. viros in diversis locis sacris ordinibus initiavit. Alios enim ad fluvium Gelnicz h) alios in Scepusio i) in Giraldt, Zalman et Kukovo, alios consecravit k) Sed viro huic multis variisque casibus exercitato venit post multos una serena dies, dum singulari Dei providentia an. 1703. Bartham reductus, non sine maxima omnium voluptate in priore statione collocatus fuerit, cui dum viri utriusque ordinis felicem fortunatamque vitam fuissent comprecanti, molestiarum senectutis memor, illud Ovidii, cujus erat peritissimus, haud incogitate reposuit:
mihi jam felicior aetas

Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra senectus l).

Praevidebat enim vir aetate gravis et non minus vitae, quam molestiarum satur, tempus, quod ei adhuc reliquum fuit, absque molestiis non abiturum. Vitam, quam inculpatam egit, praedicabant omnes, nihil tamen admirabantur magis, quam animum invictum et adversus quaevis pericula obfirmatum, ut nihil de prudentia ejus exquisita et ratione vivendi adstricta percenseam. Hinc fiebat, ut

g) Ovidius Liber V. Tristium.

h) Joh. Blaho vocatus ad ecclesiam Palojtensem, quae in Inc. Comitatu Nagy Hontensi est, an. 1699. in eremo ad fluvium Gelnicz ordinatus fuit.

i) Joh. Keresztúri ad ecclesiam Nemessanensem in Inc. Comitatu Jaurinensi, et Joh. Andreidae ad ecclesiam Drjenicensem apud Nagy Hontenses sitam, an. 1699. in Scepusio fuerunt initiati.

k) Joh. Simonides alias Tapolezai, Osgyanini Rector ad ecclesiam Padariensem in Inc. Comitatu Gömöriensi sitam vocatus, 15. Jun. an. 1700. in Giraldt, Elias Augustini Schemnicii ejusdem nominis patre Slavorum Pastore, matre Maria Tarnocii natus, confirmatis Altdorfini et Norimbergae studiis Schemnicium ad functionem ecclesiasticam vocatus, 20. Apr. an. 1701. in Zalman, et Paulus Severini Sztrehova Neogradiensis in Ministrum ecclesiae Bagyanensis 27. Jan. 1702. in Kukovo renunciatus, postquam ad locum articulare Garanzeginum translatus diu non minus, quam praeclare omnia sua egisset, vir multorum meritorum rude donatus, ad latus Rev. filii Steph. Severini quietam agit vitam.

l) Ovid. Libr. IV. Metamorph.

ab omnibus aestimaretur tanto magis, quanto se pluribus in rem Evangelicam meritis litterato orbi commendarat. Nam non in Hungaria tantum, sed etiam in Misnia eruditionis suae tanta reliquit documenta, ut, etsi nulli ei amplius supersint posteri, ille tamen apud omnem victurus est posteritatem. Mori enim non potest, qui tot tantisque in puriorem Dei coetum meritis nomen suum commendavit posteritati ac immortalitati. De eruditione ejus et prudentia longo rerum usu comparata, etsi nemo dubitaverit unquam: multo tamen litterato orbi innotuisset magis, si ejus Synodologia, quam in M. SS. reliquerat *m*), exulceratis his temporibus publicam lucem videre potuisset. Sed uti multorum clarissimorum in patria nostra virorum M. SS. *n*) cum blattis et tinceis concertare debent; ita huic quoque evenisse, non sine ratione videor mihi adfirmare. Postquam enim filius ejus Jacobus Zabelerus Schennicio in locum defuncti patris Bartpham vocatus, diutius commendatam sibi provinciam administrare non potuisset, sed statione deturbatus, Thorunni sedem fortunarum delegisset, omni procul dubio rariora M. SS. tanquam unicus facultatum patris sui haeres secum asportavit et cum ad rem exterorum non multum facere viderentur, cum magna rei Evangelicae Hung. jactura, inter avara scrinia sua detinuit, dignum profecto sententia mea opus, quod dudum publicam lucem

m) Synodologiam cum magna, uti facile est arbitrari, aduratione elaboratam in M. SS. reliquisse, celebris Rezikius omni exceptione major testis est. Postquam enim de Leonhardi Stöckelii obitu in Gymnasiologia sua quaedam fuisset commentatus, addit sequentia: Jacobus Zabelerus Pastor Bartphensis et Superintendens ad calcem Synodologiae in IV. M. SS. paulo aliter.

n) Multi jam olim questi sunt et adhuc non sine ratione conqueruntur, haud vulgaria eruditorum virorum Evangelicorum in patria nostra M. SS. in obscuro quodam angulo detineri. In hunc censum referri merentur: Danielis Parschitii opus historicum et Commentarius de clarissimis Nobilium familiis Hungariae antiquae et novae. Joh. Buri Senioris Carponensium olim V. D. M. Historia Hungariae Ecclesiastica. Joh. Rezikii Gymnasiologia seu historia scholarum et Rectorum a Ven. Samuele Mattaeide continuata. D. Krmanni Superintendentis opus Ecclesiastico-Scholasticum. Samuelis Antonii opus Catecheticum et versio Slavonica utilissimi libri Valentini Ernesti Loescheri cui est titulus: Edle Andachts Früchte. Samuelis Michaelidae vastum opus Concordantiarum Lankischianarum potiori ex parte in Slavonicum translatum et Historia Superintendentum a Samuele Hruskoviczio continuata. Georgii Ambrosii Catechesis major et procul dubio multa plura hinc inde captivorum instar in scriniis delitescentia.

adspexisset. De molestiis, quas in vita sua religionis Evangelicae causa forti animo tolerabat, et patientia, quam inter tot tantosque casus et praesentissima vitae discrimina ad miraculum usque contestabatur, nihil opus est dicere, cum idem non minus eleganter, quam erudite dudum jam praestiterit Rezikius in posterum, ubi se dederit occasio, prolixè laudandus o). Hinc uti molestam in senio egit vitam: ita vir multorum dolorum septuagenario major anno 1711. cum gaudio et religiosa voluptate mortuus est Bartphae, ubi sacris laboribus dedicatus majorem vitae suae partem exegerat, non sine justo multorum dolore contumulatus. De solenni ejus funere vel hinc pronum existimare est, quod Ven. Contubernium nostrum Gömörïense tanti viri funus conhonestaturum, etsi in medio sui habuerit Superintendentem, duos Rev. viros Bartpham expediverit, quo testatum relinqueret, quanti faciebat mortuum, quem vivum venerari pulcherrimum esse existimabat, ne quid hac vice adjiciam de iis, qui ex locis vicinioribus magna frequentia dolorem suum testaturi confluerant. Deus Bartphae olim ut quamplurimum celebri, nunc vero injuria temporum non parum coarctatae propitiis adsit et Zabeleros in Ministerio indulgentissime largiatur.

Sectio III

d e

Superintendentibus Trans-Danubianis.

Nisi ordinem, quem consulto ingressus sum, servari oporteret, a percensendis Superintendentibus Trans-Danubianis vel eo nomine abstinerem, quod supersit erudita Cl. quondam viri Danielis Hajnoczii a) epistola, qua Joh. Sipkovics Tôth Tétïensi Pastori in ecclesia Vadosfalvensi an. 1742. renunciato Superintendenti sa-

o) Vid. hanc in rem Joh. Rezikii Fasciculus Myrthae an. 1709. publicatus.

a) De Daniele Hajnoczi Rectore olim Semproniensi videri potest Supremum officii munus, eidem anno 1747. Sempronii beate mortuo a Celeb. Joh. Christoph. Deccardo, emerito Rectore et socero ejus exsolutum, ubi quidquid ad ejus merita et laudes pertinere videbatur, ex voto non minus quam eleganter perscriptum reperias. Prodiit Jenae 1747. litteris Joh.

cram illam provinciam gratulabatur, in qua Superintendentes, qui trans Danubium sacris Evangelicis praefuerunt, strictim percensuit. Quia tamen seculo XVI. imprimis ante Synodum Csepregiensem magna fuit inter nostros et Reformatorem Theologos confusio, e re me facturum arbitror, si melioris ordinis causa primum de iis, qui ante dictam Synodum ecclesiis Evangelicis praefuisse dicuntur breviter fuero commentatus.

Caput I

de

Superintendentibus ante Synodum Csepregiensem.

Difficile admodum est determinare, qui ante Synodum Csepregiensem in partibus Trans-Danubianis genuini fuerint Superintendentes Evangelici. Uti enim in Saxonia, post felicem sacrorum emendationem, multi lenitate Philippi Melanctonis abusi, clam et tacite placitis accedebant Calvinii: ita in Hungaria non pauci nomen Evangelicorum propterea tantum retinuerunt, quo sub specioso Augustanae Confessionis titulo melius latere potuissent. Quamprimum enim juxta sanctiones Synodi Csepregianae anno 1590. Formulae Concordiae subscribendum fuisset, statim adparuit, eos integra fide non egisse, cum non tantum Formulae Concordiae non subscriberent, sed eam etiam, quacunque demum poterant ratione insectarentur. Talis erat, ut reliquos hac vice praeteream, Stephanus Böythe, Nemet-Ujváriensis Pastor et ecclesiarum circa Rabum fluvium Superintendens. Hunc aliqui Evangelicis Superintendentibus accensent, uti Hajnoczius in laudata jam epistola adnotavit; cum tamen juratus fuerit Augustanae Confessionis hostis, quod in Colloquio Csepregiensi ex sententia Ill. Franc. de Nádasd an. 1591. mense Junio cum Severino Sculteti Pastore Bartphensi de Coena Domini instituto satis superque testatum reliquit. De quo cum oc-

Christophori Crockeri. Ad haec eruditus sermo sacer a Ven. Joh. Godofr. Oertelio Pastore Sempronensi ex Esai. VIII. 18. in obitum ejus habitus, dignum profecto virtute Hajnoczii pretium.

casione Synodi Csepregianae, sub initium hujus Commentationis, quod satis, dictum fuerit, hic amplius recognoscere opus non est. Inter genuinos ecclesiarum Evangelicarum Superattendentes trans Danubium ante Synodum Csepregiensem praeter Gallum Huszár Anaxium Pastorem Óváriensem et circa an. 1568. Superintendentem, memorandus mihi est Petrus Bornemisza an. 1576. Pastor Szeredinus et Superintendens. Hic circa an. 1581. fuit Rárbokien-
sis *) Pastor et Inclytae gentis Balassianae **) Concionator. Id vel hinc conjici potest, quod explanationem suam Evangeliorum Dominicalium in usus totius anni non tantum in Detrekő et Rárbok, ejusdem arcis pago, in fol. an. 1584. imprimi curavit, sed etiam sacrum hoc opus Magnif. Stephano Balassa de Gyarmat, in Detrekő et Nagy Tapolcsán dedicavit. Quorum munificentia impressum fuerit et quae sunt reliqua, laudatus Hajnoczius percensuit. Erudito huic viro circa an. 1584. suffectus est Demetrius Sibolti ***).

*) Nequaquam, Rárbok tenuis est pagus, nec pastores habebat. 1576. P. erat Semptaviensis (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

**) Ubi sedem posuerit Melchior Balassa, latet; si in Detrekő, qua ditione donatus fuerat a Maximiliano II. Imp., verosimile est, ibi quoque aut in ditione et Castello Malatzkensi fuerit P. Aulicus Bornemisza (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

***) Petrus Bornemisza et Demetrius Sibolthi erant Superattendentes Mátyusföldensis Dioecesis; sed Superattendentes Trans-Danubiani ante Synodum Csepregiensem erant: Joannes Retzes, qui circa 1590. visitabat ecclesias Trans-Danubianas et Ministros ordinabat, et speciatim Benedictum Laszlay et Johannem Rurbrum in ecclesia Csanigiensi. Joh. Retzes ordinatus Hegyfalvae, quamvis nec annus, nec ordinans nominatur. Conf. nota p. 139. De Stephano Magyari Superattendente vid. p. 139. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

Ex indice ordinatorum W i t t e m b e r g e n s. M i n i s t.: Demetrius Sybolthius Pannonicus prima litterarum fundamenta didicit Tholnae, dein Temesvarinum delatus Praeceptore Stephano Szegedino est usus. Hinc vero Massaiensi proli praefectus vocationi annuit. Tandem svasu amicorum anno 1559. Wittembergam se contulit. D. Philippum Melanctonem Praeceptorem veneratur integro anno et ultra. Anno vero 1562. in Hungariam reversus primum Gyulae Ludirectorem, dein-Csepregini in bonis Magnifici Domini Nádasd. Hinc vero Semptzinum ex voluntate Illust. Comitis Julii a Salmis et Neuburg, novissime vero a Tyrnaviensi. Ordinatus vero Wittembergae a Rev. Domino P. M. Oberdorfer 11. Julii 1576. E x c e r p t a die 3 Febr. 1783

per Michael. Szontagh.

Hunc Lampius in Historia Eccl. Reformatae p. 568. uti et priores suis accenset, sed quod ostendam, mala fide. Nam etsi Petrus Bornemisza Crypto-Calvinismi fuerit suspectus: tamen puritatem doctrinae Evangelicae peculiari scripto tuitus est et se ab impacto sibi crimine egregie vindicavit *a*). Quod Siboltium attinet, libellus ejus de Lucta Spirituali an. 1584. sermone Hungarico editus pro eodem loquatur, in quo Tentatione 2. dogma illud de particulari gratia divina rejicit; Tentatione 3. nos omnes natura filios irae esse docet; Tentatione 5. perditionis causam non Deo, sed homini adscribit et nos absolute et imperscrutabili Dei voluntate damnari negat *b*), ut plura hac vice non adscribam. Hi sunt, quos ad classem Superintendentum Evangelicorum ante Synodum Csepregiensem referri posse existimavi.

Caput II

de

Superintendentibus post Synodum Csepregiensem.

Cum in tanto documentorum publicorum defectu de Superintendentibus trans Istrum pro dignitate commentari non licuit, malui posteritatis gratia brevem eorum Syllabum conscribere et quae olim in Adversaria mea retuleram, litterato orbi Hungarico communicare, quam culpa mea pati, ut injuria temporum tam devota rei Evangelicae nomina intercidant. Si quis Syllabum hunc nostrum cum tempore amplificaverit, non tantum non invidebo, sed etiam prolixè gratulabor. Quod ergo Superintendentes istos adtinet, principe huc loco referendus est

a) Testis est hujus Hajnoczius in Adnotationibus ad Epistolam sub signo *b*.

b) Haec me Perq. Rev. Paulus Major condocuit, qui et libellum Siboltianum possidet et eum cum adcuratione et studio perlectum ab ea suspicione vindicavit.

Georgius Muraközy

Pastor Aulicus ac Oppidanus in Sárvár et Superattendens, si quid divinando adsequor, ab insula Muraköz, quam Dravus et Mura fluvius efficit, denominatus. In ea tempora inciderat, quibus genuini Aug. Conf. socii Formulae Concordiae speciatim sic dictae tanquam libro ecclesiae Evangelicae symbolico, in superioribus Hungariae partibus ultro subscribebant. Hoc ut trans Istrum quoque fiat, unus omnium Georgius Muraközi maxime elaboravit et quidem tanto felicius, quanto majoris erat auctoritatis. Praeterquam enim quod ecclesiae Sárváriensi praefuit: etiam Ill. Com. Franc. de Nádasd a Concionibus erat. Hinc Synodo Csepregiensi dicti Comititis arbitrio an. 1590. coactae, non cum Gregorio, uti Lampius existimavit, sed Severino Sculteti Pastore Bartphensi interfuit et sua prudentia hoc effecit, ne ii, qui Formulae Concordiae subscribere detrectabant, pro sociis Aug. Confessionis habeantur. Inde colligas, virum fuisse non minus eruditum, quam priscae veritatis multo tenacissimum et haud vulgaribus pro veritate Evangelica laboribus ad officium Superintendentis praeparatum. In hac Synodo Unio Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum soluta fuit, uti ipse Lampius confitetur in Hist. Eccl. Reformatae p. 329. seqq.

Nota Adm. Rev. Dn. Pauli Major, patroni mei longe aestu-
mandi.

Hic inserendus est Stephanus Magyari Superintendens, vid. m. Jacobi Martini Theoremata Metaphysica, Exercitatione Decima, quam tuitus est Jacobus Mockius Sempronius. Pannon. et dedicavit in specie Stephano Magyari, Com. Francisci de Nádasd aulico Concionatori, ejusdemque ditionis Superattendenti: Item Michaeli Zvonaritschio Pastori Czenkiensi an. 1603. d. 26. Nov. Wittembergae habitam. Erat Magyari Sárváriensis Pastor. Vide Pázmány Kalauzát fol. 403.

Stephanus Klaszekovics.

Hujus cum laude meminit M. Adamus Kys ex ejus filia Justina natus in Syllabo Ordinatum per Martinum Wagerum ad

an. 1652. Hunc ille Nicopoliensem concionatorem*), ecclesiarum trans-danubianarum Superintendentem et virum aetate meritisque gravem fuisse confitetur. Quod tanto credi potest facilius, quanto certius est, eum eo tempore provinciam Superintendentis administrasse, quo res Evangelicorum maxime florere videbantur. Anno enim 1614. hoc officio defunctus est, uti Cl. Hajnoczius l. c. adnotavit.

Nicolaus Gönczius**)

Hic a patria Pálházy fuit appellatus, vir diversarum ecclesiarum administratione clarus. Nam non tantum circa annum 1608. Rector Sárváriensis a), sed etiam Hegyfalvensis, Levensis, Szeredinus Minister fuit. Mortuo Klaszekovicsio, tanto magis officio Superintendentis dignus fuit habitus, quanto illustrius eruditionem suam et doctrinae integritatem docta de Coena Domini Commentatione b) probaverat. Hunc primum libros nostros symbolicos in Hungaricum transtulisse scimus et quidem, ut Cl. Hajnoczius l. c. memorat, 12. Jan. an. 1619. facto initio. Quod si ita est, statim absoluto labore mori eum oportuit, quandoquidem an. 1619. in Febr. omnium laborum finem fecit.

*) Circa an. 1605. erat Pastor Endrödensis. Visit. Bartol. Kis p. 10. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

***) A. 1614. erat hic Pastor Szeredinus et Superintendens Poson., Nitriens., Jaur. et Barsiensis Comitatus, ut patet ex Stephani Göntzii fratris sui Dissertatione, quam tuitus est sub Jacobo Martini Wittembergae de usu Philosophiae in Theologia A. 1614. d. 12. Jan., quam huic, ut fratri suo dedicavit. Ergo Nicolaus erat Superintendens Trans-Danubianus.

B. Daniel Hajnoczius in Epistola gratulatoria hunc vocat Superintendentem Ecclesiarum cis et intra Danubium (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e i).

a) Stephano Magyar Pastori Sárváriensi et Ill. Francisci Nádasdi aulico concionatori librum de causis et remediis malorum hungarico idiomate an. 1601. edenti adplausum dedit elegantissima Elegia conceptum, cui hoc modo nomen suum subscripsit: Nicolaus Göntz de Pálháza Gymnasiarcha Sárvár.

b) Prodiit libellus Kereszturini an. 1612. et Seyfriedo Kollonits dedicatus est.

Tobias Bruncevik.

Comitis Stanislai Thurzo Regni Hungariae Proregis in aula Szemptaviensi Concionator et X. Comitatum Superintendens, ab Isaaco Abrahamide et M. Joh. Hodikio Superintendentibus anno 1620. inauguratus, vir laboriosus et boni ordinis multo amantissimus. Superintendens constitutus, ne officio defuisse videatur, Synodum Semptaviensem, collato cum Prorege consilio, an. 1622. convocavit, in qua XX. Articuli de regimine ecclesiastico conditi et a Stanislao Thurzone Prorege eodem anno 1. sept. confirmati sunt, quorum Antographon *a)* manu sigilloque Proregis adpenso confirmatum inter scrinia Cl. Hajnoczii Rectoris olim Semproniensis adservari, ipse in memorata saepius epistola confitetur. Num ille idem sit Bruncevikius, qui ab an. 1605. ad an. 1620. illustri tum scholae Csepregiensi *b)* praefuit et demum apud Galgoczienses Minister factus, multis Nitriensium promissis inductus religioni Lutherano-Evangelicae nuncium misit, uti magnus alioquin vir arbitratur *c)*, non definio, quamvis in eam ego propendeam sententiam, Superintendentem hunc nostrum a Galgocziensi illo, qui a nobis desciverat, discriminandum non esse, cum non tantum in aula Semptaviensi Concionatorem egerit, sed etiam officio Pastoris Hungarici apud Galgoczienses fuerit defunctus. Hujus causa sacer ibidem institutus fuit Conventus, in quo etsi de veritate doctrinae Lutheri multis argumentis fuerit convictus: a sententia tamen, quam semel animo conceperat, se abstrahi passus non est *d)*, homo omnium maxime temporarius et utilitatis magis, quam melioris conscientiae tenacior.

a) De his videri potest Histor. Diplom. p. 35. § XXXVI. ubi canones illi recensentur.

b) Schola Csepregiensis typographia olim insignis, proluxa I. gentis Nádasdianae liberalitate sustentabatur, de quibus, imprimis Francisco, Thoma et Johanne vid. Czuittinger in Spec. p. 276.

c) M. Joh. Hodikius, qui inaugurationi Bruncevikii interfuit, Szeredini adscripsit sequentia: Hic Brunsvikius turpis postea apostata factus est.

d) Haec ex fragmentis Gymnasiologiae Rezikianae, quae amicus quidam in Scepusio possidet, me didicisse profiteor. Huic ego sententiae tanto lubentius adstipulor, quanto certior sum, Rezikium in consignandis virorum fati multo accuratissimum existimari.

Michael Zvonarits.

Scholion Rev. Pauli Major, Patroni mei venerandi.

Emericus Zvonarits fuit Pauli Nádasdii et Csepregiensis templi superioris Pastor an. 1614., quo anno edidit hungarice *Locos Theologicos Haffenrefferi* in 4. Prodiit liber in IV. *Kereszturini* an. 1614. ex typographia *Farkas Imre* Applausum dederunt: *Sármelléký Nagy Benedek*, *Közögi Schola Mester*. Protestationem dederunt: *Stephanus Klassekovich* Superintendens. *Daniel Tetheni*. *Basilius Temper*. *Michael Zvonarits*. *Gregorius Pithyraeus*, Seniores Hinc patet an. 1614. *Michaelem Zvonarits* fuisse saltem Seniore *Sárváriní*, postea vero Superintendentem. *)

Mirari satis non possum, qui factum sit, quod *Cl. Hajnoczius* in *Epistola* saepius laudata, qua Superintendentes *Trans-Danubianos* complexus est, magni hujus viri nullam prorsus injecerit mentionem, cum mihi exploratum sit, eum cum magna nominis sui commendatione hoc officio fuisse defunctum. Natus ille erat *Sárváriní* et studiis *Csepregini*, *Comaromii* et *Strasae* in *Scepusio* operatus est. Dum ad revisendam patriam animum adjecisset, praeter omnem exspectationem suam *Kereszturini* scholae Rector constituitur, ubi tanta cum diligentia versatus est, ut *Szakonii* primum, dein post annos duos *Czenkini* integro novennio praefuerit sacris. Hinc ad *Sárvárienses* **) devocatus, ita sacra illa officii administratione inclaruit, ut post tristem illam *Brunczvikii* defectionem Superintendens quoque fuerit constitutus a). De eruditione et in-

*) Michaelis Zvonarits mentionem habes etiam apud *Czvittingerum* (*Másvalakinekjegyzete*.)

**) Michael Zvonarits an. 1614. *Sárvárii* existens erat Senior. Vid. *Haffenrefferi Locos Theologicos hungarice* ab *Emerico Zvonarits* editos, ubi Michael qua Senjor subscribit (*Másvalakinekjegyzete*).

a) Hanc in rem consuli debet succincta *Diatyposis vitae Michaelis Zvonarits*, metris poeticis per *Steph. Lethenyi* Ministrum *Csepregiensem* concinnata, ubi inter reliqua confitetur:

Postea *Sárvárii* docuit mysteria Christi,
Et Superintendens ipse creatur eo.

defessa laborum patientia *b)* sacri ejus in Evangelia Dominicalia labores luculentissimum testimonium esse possunt, quos post fata pii senis filii, quos reliquerat, Stephanus et Georgius *c)* liberalitate optimorum patronorum adjuti *d)*, litterato orbi communicarunt. Tandem continuis vigiliis defatigatus, postquam annos 30. in Ministerio sacro exegisset, non sine magna Sárváriensium jactura 27 Febr. an. 1625. mortalem hanc cum immortalitate commutavit. Cum a Comite Paulo Nádasdi, cui a Confessionibus erat, rogaretur, ut moriturus liberis suis benedicat, induci in eam sententiam

b) De laborum patientia ita in Praefat. Postillae p. 4: Ez legnagyobb, mellyet méltán hozhatunk elő, hogy magát semminémű fáradságtól nem kéméllvén, az egész Sz. Írást, az Ó és Uj Testamentomot, elkezdvén Moises könyvében, mindennapi Prédicatiókban által predikállotta, minden nap egész hetetszaka, Vasárnapoktól és Innepnaptól megválva, egyegy Caputot rendel által olvasván, azt meg magyarázván, és lelki tanúságokat hozván ki bellőle. Ebben pedig ugy szorgalmatoskodott, hogy mind a mennyei látásról írt könyvnek utolsó részeig még éltében véghez vitte az Sárvári hivek szent Gyülekezetinek helyén. Item de hoc Diatyposis:

Hic Vetus atque Novum foedus cum laude perenni

Quotidie explicuit dexteritate gravi.

c) Dum an. 1627. sacri illi labores ederentur, filius Stephanus fuit Czenkiensis Concionator et Georgius Adami Battyani praeceptor.

d) In editionem utilissimorum laborum Zvonaritsii sumtus contulerunt, praeter Ill. C. Paulum Nádasdi et Juditham Révay consortem ejus, quibus erant dedicati, Elisabetha Czobor, C. Georg. Thurzo Proregis Hung. vidua, Maria Forgách, Petri de Réva Dumviri Relicta, Eva Lobkovits C. Franciszi Battyáni conjux, Michael Szécsi de Rimaszécs, Joh. Bátsmegyei, Steph. Göntzöl, Petrus Zente, Nicolaus Takáts, Thomas Kis, eo nomine ut plurimum gavisi, quod sacros illos sermones in forma IV. editos, patrio sermone lecturi sunt in posterum. Commendavit hos labores Mathias Sunyavszky Rector Csepregiensis docta et eleganti inscriptione:

Disputatio Logica tertia Decima de argumenti dialectici inventionem et sede, Praeside Jacobo Martini, Resp. Steph. Lössits Chakthornensi Saladino 1. Maji 1614. dedicavit Spect. ac Magn. Dom. Paulo de Nádasd, Comiti perpetuo terrae Fogaras, Comiti Comitatus Castriferrei supremo etc. domino suo clementissimo ac Maecenati munificentissimo, perpetuo observantiae cultu suspiciendo, nec non Rev. viro ac Clariss. Theologo Dom. Michaeli Szvonarits, Antistiti frequentissimae Sárváriensis ecclesiae vicinarumque Dioeceseos illius Seniori meritissimo, Dom. promotori suo aeternum colendo item nobili viro, pietate, doctrina, et virtute eminentissimo Dn. Jacobo Morkio, Magnifici Dom. Maecenatis nostri praeceptoris aulico fidissimo, Dom. fautori suo singulariter honorando.

non poterat, cum divino quodam instinctu vicinus morti praevideret, ejus maximum natu filium, relictis sacris Evangelicis, irreparabilem rei Lutheranae jacturam allaturum, quod ex vero praedictum fuisse, post ultima fata Comitis Pauli de Nádasd tristis admodum eventus confirmavit e).

Bartholomaeus Kiss.

Scholion Adm. Rev. Pauli Major, rerum patriae ecclesiasticarum gnarissimi, patroni amandi mei.

Bartholomaeus Kiss erat an. 1614. Minister verbi Divini apud Szakonienses, id quod patet ex Haffenrefferi Locis communibus Theologicis Hungarice per Emericum Zvonarits redditis et Kereszturini an. 1614. per Farkas Imre editis, ubi Kyssius applausum dedit et ita subscripsit: Bartholomaeus Kis Minister V. Divini apud Szakonienses. Superintendens dicitur esse an. 1641. in Exerc. 1. Michael. Eiffleri, quam tuitus est filius ejus Paulus Kiss, Regiomonti.

Hic nomen suum, quod hungarico sermone parvum significat, multis accessionibus auxit et ex parvo praeclaris in sanctiorem rempublicam meritis magnus factus est. Primum Czenkini sacris operabatur, ut ejus ad posteritatem meminit filius M. Adamus Kiss a) in Indice ordinatorum, cum a Martino Wagnero an. 1652. sacris initiaretur ordinibus. Hinc ad Sárvár translatus non tantum oppidani Pastoris, sed etiam aulici Concionatoris apud Ill. Com. Paulum de Nádasd munia procurabat tanta cum dexteritate, ut in Conventu Csepregiensi an. 1625. die 3. Jun.

e) Vid. Steph. Pilarikii Currus Jehovae Mirabilis Cap. VII. p. m. 39.

a) M. Adamus Kiss magni hujus viri filius ex Justina Klaszekovicsii Superintendentis filia Czenkini, ut ipse l. c. confitetur, natus positus in patria studiorum fundamentis an. 1639. Regiomontum liberalitate Ill. Comitis Francisci de Nádasd commigravit et eodem a religione Evangelica desciscente munificentia Dom. Cassoviensium adjutus raro popularium exemplo ibidem an. XII. exegit et profectus suos, quos in litteris fecerat, demonstraturus cum Paulo fratre suo, Paulo Lochmanno Thuroczyensi atque Samuele Csernák Bobotensi Examen Aetiologiae M. Joh. Kircheri sub Calovio egregie tuitus est. Hinc a Cassoviensibus an. 1652. in Pastorem hungaricum vocatus eandem provinciam cum laude administravit.

celebrato, communibus suffragiis provincia Superintendentis ei fuerit commendata. Hanc ille ita administravit, ut et conscientiae fecerit satis et nomen sibi comparaverit ad posteritatem. An. 1635 sub titulo Superintendentis conscripsit Epigramma in Compendium Leonhardi Hutteri, a successore ejus Stephano Lethenyei*) civitate hungarica donatum. Finem vivendi**) tanto lubentius fecit, quanto certior erat, se relinquere posteritati filios, studia meritaque patris magna animi contentione aemulatueros.

Stephanus Lethenyei.

Uti ipse in Diatyposi sua mortuo Michaeli Zvonarits dedicata confitetur, patria Csasziensis fuit ¹⁾ et confirmatis feliciter studiis, procedente tempore ²⁾ ecclesiae Csepregiensis Pastor ^{***)} Quanta cum dexteritate sacris hic fuerit operatus, vel hinc condisces velim, quod an. 1635. ³⁾ Ministerii Senior atque Superin-

*) Stephanus Lethenyei ante an. 1650. Superintendentens esse nequibat: in Agendis enim Hungaricis Samariae 1650. impressis post Greg. Musay Superintendentem subscripsit qua Senior. Ergo provinciam Superintendentalem prior gessit Musay Lethenyeo. Ergo Lethenyeus si quando Superintendentens fuit, post Musayum fuit, vel si ante Musayum fuit, tempore Superintendenturae Musayanae ad dignitatem Senioratus degradatus fuit, quod incredibile (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

***) An. 1642. die 20. Jul. vixit adhuc et visitavit ecclesiam et templum Szecsegiense a Magn. Joh. Török de Telekes et uxore ejus Margaretha Pethő aedificatum. N.B. 1646. mortuus est (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

1) Fuisse Lethenyeinum patria Csasziensem in Diatyposi vitae Zvonaritsianae plane non comparet.

2) Erat vero Lethenyeinus primum Gymnasiarcha Sárváriensis. Vid. Emerici Zvonarits Locos Theologicos Haffenrefferi Hungaricos, ubi applausum dedit 1614.

***) Anno 1617. Pastor in Lövö; an. 1650. Pastor Saxopolitanus i. e. Hegykő. (G a m a u f j e g y z e t e.)

3. Imo vero Lethenyeus erat jam tum an. 1628. Senior. Ita enim in parte II. Postillae Mich. Zvonarits Hung., quae 1628. prodiit, post praefationem in *προσφωνησεν* latina ad Ministros ecclesiarum Hung. Augustanae Confessionis addictos scribit: per Steph. Lethenyeinum Superioris ecclesiae Csepregiensis Praedicatorum et vicinarum hungaricarum Seniore.

tendens *) trans Istrum meruit salutari 4). Hic inter genuinos eosque strenuos veritatis Evangelicae defensores collocandus est. Quod uti semper alias, ita tum vel maxime testatum fecit, cum Joh. Szamarjai Pastorem Halasziensem et Reformatorum Superintendententem refelleret. Ediderat ille Conformitatem Augustanae et Helveticae Confessionis, adversus Ubiquistas, ita genuinos Lutheri socios appellavit, cui noster pro ea, qua erat, eruditione Vindicias Augustanae Confessionis opposuit a) et apertissimum inter eam et Helveticam discrimen ita ostendit, ut nemo in dubium jure vocare fuerit ausus. Huic notante l. c. Hajnoczio in acceptis referri debet, quod Compendium Leon. Hutteri lingua hungarica donatum possideamus b). Fuit gener Michaelis Zvonarits, id quod patet ex Diatyposi ipsa, ubi se Lethenyens generum vocat Zvonaritsii Superintendententis, in quem gratum et post fata animum declaraturus scripsit an. 1625. metris poeticis c) succinctam vitae ejus Diatyposim. Tandem continuis laboribus fractus circa medium seculi superioris, praeparato prius ad mortem animo XXIV. illis senioribus in coelis adscriptus est.

*) Vid. pag. 91. (G a m a u f j e g y z e t e.)

4) Lethenyi erat adhuc 1641. Senior Vid. Pauli Kiss. Dissert. de natura Philosophiae in Michael. Eiffleri Exercitat. I. (Sunt notae Rev. Pauli Major his scilicet 4. numeris comprehensae.)

a) Prodierunt Vindiciae Aug. Confessionis Superintendententis nostri Csepregini an. 1638. in IV., quas Ill. Com. Paulo Nádasdi dedicavit, quo eum in agnita olim veritate confirmaret.

b) Compendium Hutteri hungarice editum est an. 1635. et Judithae Révay, Pauli Nádasdi viduae dedicatum fuit. Laudarunt libellum elegantioribus inscriptionibus Bartholomaeus Kis Superintendentens et Georg. Textoris Minister Búkiensis.

c) Etsi Superintendentens noster clarioribus Hungariae poetis adnumerari non mereatur, tamen elegans admodum est Anagramma, ex nomine Michael Zvonarits deductum : In Christo laus mea ; quod in memorata sua Diatyposi sub finem sequentem in modum illustravit :

Non ego pomposi laudes desidero mundi,
In Christo solo laus mea firma manet.

Gregorius Musay.

Scholion. Iste erat an. 1641. *) Senior et Concionator Lövejensis. Vid. Exercitat. I. Eiffleri, quam tuitus est Paulus Kiss Regiomonti an. 1641. d. 18. Jan.

Hic officio Superintendentis circa an. 1651. clarus, solo mihi nomine cognitus est, si ea excipias, quae Hajnoczius de Syl-labo Ecclesiarum in exilio Nemeskériensi an. 1661. per eum consignato, memoriae prodidit. Si ex nomine, quod gessit, divinare licet, vigilantem Musarum statorem esse oportuit **).

Georgius Fistrovits. *)**

Ego Fistrovicsium Günsiensem Pastorem et Superintendentem ecclesiarum Trans-Danubianarum lego fuisse an. 1668. in Dissert. Martini Maurer Kis-Schenkino Transilvani, quam hoc anno edidit Wittembergae de Sessione Christi ad dextram Dei Patris, sub praesidio Joh. Meisneri, quamque Fistrovicsio dedicavit. Est Scholion Rev. Domini Pauli Major.

Hic an. 1667. Pastor fuit Gentsiensis et Superintendentens, qui post biennium priorem stationem suam cum Kőszegiensi ****)

*) Imo jam erat an. 1631. Pastor Löveiensis. V. Protoc. Visitat. Barthol. Kiss Superattendentis p. 58. 118. et District. Superioris Senior, ibidem 1638. p. 117. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

**) Hic ipse Gregorius Musay, qua Superintendentens cum suis Senioribus edidit Agenda hungarica, quae ego Martinus Laucsek possideo, et Samariae apud Andream Vechelium an. 1650. imprimi curavit.

***) 1650. fuit Pastor ecclesiae Német-Gentsiensis in Com. Castriferrei, an. 1654. vero Egyházfalvensis in Rábaköz. Vid. Protocoll. Visit. Dioecesis Transdanubianae. (M á s v a l a k i n k j e g y z e t e.)

****) Günsium et Kőszeghium una eademque civitas est, nisi quod germanice et latine Günsium, hungaricé vero Kőszeg vocatur. Vid. Joh. Tomka Szászkkii Geographia p. 466. (T á n n e m S c h m a l j e g y z e t e.) †)

†) At Gens differt a Günsio seu Kőszeg (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

commutavit. Hoc me condocuit Nicolaus Pusótzí a) Muraj-Szombathiensis, qui Disputationem V. de Peccati originalis natura in Ill. gymnasio Eperjesiensi sub Samuele Pomario an. 1669. tuitus est, eamque inter alios dedicavit Georgio Fistrovics, quem Ven. Consistorii Augustanae Confessionis Trans-Danubiani Superintendentem vigilantissimum et ordinarium ecclesiae Hung. Lib. Regiaeque Civitatis Kúszeghiensis antistitem appellat. Si quid divinando adsequor, brevi post inscriptam sibi a Pusotzio Disputationem in Domino mortuus est.

Stephanus Fekete.

Erat Fekete patria Szentziensis, quod patet ex libello ab eodem ex Germanico in Hungaricum verso, cui titulus Nyugosztaló órák. Didicit Wittembergae an. 1659. Vid. Dissert. Michaelis Ungeris de concursu causae primae cum secundis, ubi Ungero applausum dedit Feketius. (Ez is valószínűleg Major Pál jegyzete.)

Ultimus hic superioris seculi trans Istrum Superintendens, continuato studiorum cursu Günsiensis scholae Rector fuit constitutus. Ubi dum haud vulgarem operam in erudienda juventute praestitisset, provinciam Diaconi apud Kúszeghienses *) administrabat a) atque demum rursus a Günsiensibus **) in Pastorem

a) Nicolaus Pusótzí, uti ipse confitetur in Indice Ordinatum per Philippum Heutschium ad an. 1683., a pago Pusótz ita dictus, genuino nomine Flisár debuit appellari. Studuit ut quamplurimum Eperjesini, Bayeri, Zabani, Ladiveri et Pomarii institutione usus. Hinc M. Joh. Bayerum famigeratissimum, M. Isaacum Zabani acutissimum, Eliam Ladiverum laboriosissimum et Samuelem Pomarium solidissimum ex vero appellavit. Confirmatis Wittembergae liberalitate Steph. Tarkány studiis diutius in privato haerere coactus est et restaurato per Emericum Thökelyi Collegio Eperjesiensi an. 1682. Syntaxistarum Praeceptor et post annum ecclesiae Bottyaniensis pastor factus est.

*) Superattendentes C. Posen., Nitrien. et Barsien. p. 115. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

a) Nicolaus Pusótzí, cujus in superioribus facta fuit mentio, dictam Disputationem an. 1669. inter reliquos inscripsit Stephano Fekete ecclesiae Kúszögiensis Ministro secundario.

**) Dixi supra Günsium et Kúszegh unam eandemque civitatem esse.

vocatus, ita stationem suam obibat, ut in Synodo Bükiana die 25. Junii an. 1669. Superintendens renunciaretur *) Quantum ei ab eruditione **) honoris accesserat, tantum decesserat iterum, dum agnitam et multis variisque modis propugnatam veritatem Evangelicam sub finem decennalis illius Ecclesiae persecutionis deseruisset. A principio exilii sui ad annum usque 1679. liberali patrocinio Serenissimi Principis Mauritii, postulati Administratoris Episcopatus Naumburgensis usus fuit, uti ipse in Speculo Lacrymarum Christi et excidii Hierosolimarum b) confitetur. Deinde in patriam redux, cum meliora expectare debuisset, et animum et religionem commutavit. Num ad sacra Evangelica, ut aliqui volunt, redierit iterum, non definitio: hoc mihi exploratum est, quod

Fekete per multos atro carbone notatus,
Nunquam cordatis amplius albus erit.

Erat Fekete Günsiensium Pastor Hung. an. 1668., id quod patet ex superiori Dissertatione Maureri Transilvani, quam et Feketio dedicavit (T á n e m S c h m a l j e g y z e t e).

*) In Synodo F. Bükienſi per Martinum Tarnózi Superattendentem Posaſon., Nitriens. etc. commendatus et candidatus in Superattendentem frustra intercedentibus Kőszeghiensibus nunciis. Vid. Index ordinatorum (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

**) Ad laudem Feketii pertinet, vertisse edidisſeque stilo elegantissimo hungarico Heinrici Mülleri Rostochiensis Erquick Stunden, hoc titulo: Lelki Nyugosztaló órák etc. sine mentione anni Leutschoviae typis Samuelis Brewer in 12. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

b) Prodiit Speculum illud Jenae an. 1679. litteris Sam. Adolphi Mülleri in IV. et nihil aliud est, quam sermo sacer germanicus ex Evangelio, quod Dominica X. Trinitatis legi solet, elaboratus, in templo Naumburgensi dictus et Principi Mauritio dedicatus, in quo se Fekete ecclesiae Günsiensis quondam Pastorem primarium et reliquarum in inferiori Hungaria Aug. Confessione addictarum Superintendentem et pro nomine Christi exulem appellavit †)

†) Inauspicato reversus an. 1680. in Ungariam captusque sacra mutavit in praemium defectionis factus Senator et tandem Judex Kőszeghiensis. In comitiis Soproniensibus 1681. unus omnium maxime obstitit, ne Kőszeghienses libertate religionis potirentur. Ostios in magnas difficultates conjecit amittendorum honorum, quae in Comitatu Soproniensis eis restituta. Vid. Art. 1681. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

Pars secunda

De Superintendentibus hujus seculi.

Postquam ineunte seculo XVIII. singulari Dei providentia multo benigniora, quam olim, fata Ecclesiae Evangelicae illuxissent, nec superfuisset praeter Zabelerum Superintendentens alter, in eo vel maxime elaborarunt ecclesiarum nutritii et curatores, ne purior Dei coetus in aliis quoque Hungariae partibus diutius Superintendentibus carere habeat necessum. Quod uti Deo rebus Evangelicis propitio non infeliciter successit: ita pro instituti mei ratione duplici Sectione de iis commentabor.

Sectio I

• de

Superintendentibus ante benignam Resolutionem Carolinam, et quidem

Caput I

de

Superintendentibus Cis-Danubianis.

Uti in celebri illa Synodo Solnensi superiori seculo primum in his partibus constituti fuerunt Superintendentes Evangelici: ita ineunte hoc seculo primus omnium pro Inclytis Comitatus Soliensi, Barsiensi, Nagy Hontensi, Neogradiensi et Kis Hontensi constitutus fuit communibus suffragiis Superintendens

M. Stephanus Pilarikius

Ecclesiae Evangelicae Schemniciensis, Inclytae nationis Germanorum Pastor fidelissimus. Dabat gens Pilarikiana superiori

seculo viros neque paucos, neque vulgares et eos quidem ferme omnes exilio pro veritate forti animo tolerato insignes a). Noster natus erat patre ejusdem nominis Tyrnaviensi olim et Modrensi Pastore, veritatis Evangelicae causa exule, in Misnia mortuo. Extra patriam ut quamplurimum ita fuit educatus, ut divina providentia Schemnicii in montanis Pastor constitueretur. Hic cum ea nominis sui commendatione versatus est, ut reddita ecclesiis Evangelicis tranquillitate, provincia Superintendentis fuerit ei commendata. Triginta enim et aliquot abierant anni, dum I. Comitatus isti post beatum Georgii Zabojnikii Superintendentis obitum ordinario ecclesiarum antistite destituerentur. Hinc Illust. Liber Baro Joh. Godofred. ab Hellenbach, publicae utilitati consulturus 28. Maji an. 1704. in ecclesia Cseriensi indicto Conventu praesentibus diversorum Comitatum internunciis b), quicquid ad hanc rem pertinere existimabat, feliciter definivit. Praemisso enim, uti par fuit, sermone sacro, quem Rev. Joh. Glosius c) non sine commendatione instituit, Venerabiles

a) Huc referri debet Stephanus Pilarik, patre ejusdem nominis Pastore Ocsoviensi, viro aequae multorum dolorum an. 1615. natus, quondam Szenicensis Pastor et Ven. Contubernii Berencsiani Senior, qui tristissima fata sua in Curru Jehovae mirabili Wittemb. 1678. germanice edito prolixè descripsit. Stephanus item alter Superintendentis nostri pater, de quibus videri potest Czvittingerus in Specimine suo p. 305., ne quid de Jeremia, Gabriele et Esaia Pilarikiis adjiciam, qui alieno Ecclesiae tempore relicta Hungaria in Saxonia et Misnia consederunt, huc dum divino munere in posteris suis ibidem superstites.

b) Ut sciant posterì, Cseriensi Conventui intererant Ministri, ex Montanis: Rev. Jacobus Zabelerus, Schemnitziensis ecclesiae Germ. V. D. M. Ex Incl. Comitatu Nagy Hontensi: Rev. Petrus Rosziar Dacsolomensis, ejusdem Ven. Contubernii Senior, Rev. Joh. Valentini Bathens. Contub. Notarius, Rev. Joh. Fabritius Tesziriensis, Contub. orator. Ex I. Com. Neogradiensi Rev. Joh. Lovcsányi Tamasiensis, Rev. Paul. Kolbányi Poltariensis et Rev. Jac. Blasi Dobrocsensis ecclesiae Pastores. Ex I. Com. Soliensi: Rev. Jeremias Pilarik Dobronensis, et Rev. Joh. Glosius Radvanensis ecclesiae V. D. Minister. Ex I. Com. Kis Hontensi: Rev. Elias Bubenkius Rahoviensis et Rev. Joh. Bartholomaeides Klenoczensis eccl. Pastores, ne quid de compluribus ordinis politici viris percenseam.

c) Joh. Glosius Ven. patre ejusdem nominis Pastore Pondelkiensi matre Susanna Bubenkiana natus, vir erat sedula diversarum ecclesiarum procuratore insignis. Confirmatis enim Thorunii in Borussia studiis, eccle-

Candidati, qui praesentes erant *d)* cum praefatione honoris exesse jussi, finem sacri hujus instituti expectabant. Haec dum fiunt, communibus omnium suffragiis electus fuit absens R. M. Steph. Pilarik, qui Schemnicio accitus, sequenti statim die 29. Maji ministerio Ven. Johan. Simonidae *e)* renunciatus fuit Superintendentens. Hac opportunitate Rev. Jerem. Pilarik Dobronensis Pastor de admiranda Ecclesiae Evangelicae conservatione ad aram perorabat, reliqui vero recenter consecrato Superintendenti Christum veritatis solem, pacem veritatis prolem, coelum veritatis gremium, vitam veritatis praemium *f)* ex animo comprecabantur. Ipse certe Superintendentens, quem benedicta manus Iohannis SIMONIDAE Consecravit, inter festivos amicorum plausus a votis se abstinere non potuit, sed sequenti Chronosticho suam testatur pietatem:

paX De qVa spes est, per beLLa parabitVrorbI:

Regnans aXe Pater praebeat aVXILIVM.

Erat enim, ut verbis Synodi Cserianae utar, vir optimus, mente calamoque vividus, gravissimis in negotiis exercitatus, lingvarum et stili peritus, probataeque virtutis et pietatis. Hoc doluerunt non pauci, quod dum optime de rebus ecclesiarum Evangelicarum mereretur, saeviente per Hungariam lue contagiosa, an. 1710. cum conjuge et filiabus Schemnicii diem supremum obierit, vir, si vota valuissent, multo longiore vita dignissimus.

siae Bradnensi, Coronobanensi, Radvanensi, Kalnoviensi, Taxoviensi, Aszodiensi et Tamásfalvensi, ita praefuit, ut haud vulgarem nomini suo famam conciliaverit. Quam facilis fuerit poeta latinus, non tantum ex multis variisque carminibus Thorunii evulgatis, sed etiam ex eleganti illo specimine anagrammatum, tempore Commissionis Pestiensis an. 1721. celebratae, sub titulo: AmoenI flores VernI In quinqVe areoLas dIsLocati, eidem Excelsae Commissioni oblato intelligi potest. In condendis hymnis sacris superiorem fere habuit neminem, quod libello cantionum et precationum slavice an. 1728. edito testatum fecit. Tandem laboribus confectus Tamásfalvae finem vivendi fecit, Ven. virorum Danielis et Johannis Glosii felix pater.

d) Praeter M. Stephanum Pilarikium candidati fuere Rev. Joh. Simondes, Rev. Joh. Zelenka et Rev. Christophorus Mazarius.

e) Ven. Simonides ante consuetam manuum impositionem in sacra hac panegyri ex Psalmo LXVIII. De officio Superintendentali digno, digniore, dignissimo cum utilitate loquutus fuit.

f) Haec, uti etiam Chronostichon a Superintendente recenter electo factum, ex Actis Synodi Cseriensis, quae possideo, venturae posteritatis gratia desumpta sunt.

Daniel Krmannus

ecclesiarum in I. Comitatibus Psoniensi, Liptoviensi et Arvensi sub initium seculi constitutus Superintendens, vir propter eruditionem et praeclara in sanctiorem rempublicam Evangelicam merita etiam exteris non ignotus, patre Ven. Daniele Krmanno, quondam ecclesiae Sadeczensis, Mijaviensis, Lessetensis et Thurolocanae Ministro, matre Anna, Rev. Danielis Masnitzii filia natus. Dum divino munere nasceretur, tristia fata sua praenunciare visus fuit. Nam an. 1663. pia mater metu Tartarorum fugiens in paroecia Msenensi exul cum enixa est, qui in diuturno exilio exul moriturus erat. Quamprimum tenera aetas ejus meliorum litterarum capax esse videretur, Illaviae Paulo Majore *a)* et Trenchinii Georgio Holvajdt *b)* praeceptoribus usus, ita profecit, ut cursum, quem ingressus erat, continuaturus Vratislaviam commigravit a M. Martino Hanckio ad superiora praeparandus. Hinc Lipsiam delatus Scherzerum et Valentinum Alberti duces sectatus est et postremo Wittembergae celeberrimis undique professoribus perdius et pernox adhaesit et rediturus sub D. Deutsh-

a) Paulus Major Superintendentis nostri praeceptor cum Cl. ac Ven. viro ejusdem nominis felicissimo nepote suo, de quo in vita Antonii erit dicendi locus, non est confundendus. Hic apud Prividienses natus, postquam studia Wittembergae confirmasset, sub Deutschmanno de Ministerio ecclesiastico ejusque effectu an. 1667. cum applausu disputabat et redux apud Martinopolienses in I. Comitatu Thurocziensi Rector constitutus Dissertationem de principio Theologiae respondente Francisco Zrubka conscripsit. Hinc ad scholam Illaviensem vocatus, ab illinc tempore illius decennalis persecutionis in exilium pulsus, redux deinde ab exilio an. 1683. ad ecclesiam Cassensem accitus est *) atque demum ad Puchoviensem, vir meritis insignis, eruditae suae gentis nomen ad posteritatem propagavit.

*) Cassa Nodrovitzium discessit, hinc Krncsinum, ubi per 13. annos apud Gosztonios erat, Krncsino Szklabinam pro Steph. Petróczi aulico Concionatore, illinc Puchoviam unde ad Trenchiniensem vocatus et tempore decennalis illius persecutionis exturbatus. Vir fuit non indoctus, sed animi impotentis, quod ei non sine ratione in vitio positum fuit (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

b) Georgius Holvajdt junior ex schola Prividiensi an. 1663. in exilium actus in Niwnizam an. 1710. abiit, ubi suo munere defunctus est.

manno de Vocatione Ministrorum non sine laude disputavit, Anno 1683. d. Octobris. Vix in patriam redierat, scholae Illaviensi Rector datus, commissam sibi juventutem non sine commendatione nominis informabat, eo nomine infelix, quod an. 1684. in exilium actus ultimus hujus scholae Rector Evangelicus debuerit appellari. Post semestre demum, quod ei in exilio transigendum erat, providentia gentis Ostrosithianae ad scholam Moschoviensem, quae apud Thuroczienses floruerat, translatus, per biennium et quod excurrit, exstanti cum fructu officio Rectoris defunctus est. Sed dum Ven. pater ejus aetate et morbis confectus in ecclesia Turolukensi sacris amplius operari non posset, communi auditorum sententia functioni illi admotus fuit, 28. Jun. an. 1687. ministerio Zabeleri Bartphae consecratus*) Sub initium hujus seculi postquam 22. Nov. an. 1705. Solnensibus Evangelicis templum majus per constitutos recuperatores, quos Commissarios vulgo appellamus c) restitutum fuisset, amplissimam ecclesiae Solnensis stationem occupavit et anno statim sequente 1706. ipsa Dominica Jubilate, opera et ministerio M. Stephani Pilarik Superintendentis, non absque solenni Ven. Ministerii contradictione, d) Superintendens renunciatus fuit. Utramque provinciam diligentissime administrabat et se vixisse, haud unico monumento testatus est e). Solna circa annum 1711. exturbatus in ecclesia

*) An. 1690. ad ecclesiam Miaviensem vocatus, 1700. captus, ex carcere Csejtensi eluctatus evasit in Germaniam. Inde revocatus Miaviam rediit 1704. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

c) Tales erant ex Conventu Statuum, uti tunc vocabantur, Confoederatorum, missi, Jos. Huszár, Franciscus Bohus et Johannes Sipos.

d) Est mihi ex liberalitate optimi amici ad manus epistola a Ven. Ministerio illius Districtus ad M. Stephanum Pilarikium Superintendentem per scripta, qua non pauci inauguratione. Krmannianae solenni ratione contradicunt et quidem propterea, quod a solis politicis unicus ipse candidatus suffragiis potiori ex parte metu poenae extortis electus fuerit Superintendens

e) Dum ecclesiae Solnensi prae fuisset, edidit ex Psalmo LXV. 1. ~8 Actum inaugurationis vexillorum, dum Urbanus Zelder tumultuoso illo Hung. tempore 8. Mart. an. 1707. stationem mutaret, et sermonem de libro vitae ex Apoc. III. 5. in obitum typographi Johannis Dadan Solnae institutum. Nucleum precationum M. Caspar. Neumanni latina civitate, libro cantionum Kleichianarum an. 1722. erudite praefatus est: et bibliorum Bohemicorum editionem luculentiorum, quod scio, adornabat, nisi piis ejus destinationibus tristia fata obstitissent.

Miaviensi tanto felicius sacris operabatur, quanto magis ad res cum auctoritate gerendas a natura factus esse videbatur. Hoc ei multi non sine ratione in vitium transscribent, quod animi fuerit paulo ferventioris, quam modesta tanti officii administratio exposcebat: disciplinae tamen ecclesiasticae multo fuit studiosissimus, neque permisit, ut ejus lenitate in deterius ruant, qui sua sponte ad talia inclinare videbantur. Unde fiebat, ut fortuna in pejus inclinante multos expertus fuerit hostes ex iis quoque, qui pro Superintendente suo magna animi contentione laborare debuissent *f*). De liberis ejus scrupulosius recognoscere opus non est. Praeter filiam enim ex priori conjugate genitam, quae Matthaeio a sacris nostris demum desciscenti nupserat, filium habuit Michaellem, ecclesiae Kresnensis Ministrum, et Matthiam, scholae Miaviensis Rectorem. Hi uti exspectioni Ven. patris non responderunt, ita neque decus nominis Krmanniani cum dignitate tuiti sunt. Satis hoc ei peracerbum fuit, multo tamen magis affligebat eum exilium, quod semel iterum atque tertio tolerare habuit necessum. Nam ter pater ejus erat, ter avus, ter et ipsemet exul, uti in Epitaphio, quod sibi paucis ante obitum diebus conscripserat, ipse confitetur. Accedebat duplex carcer, quem fati ita ferentibus subire cogebatur, quorum posterior non tantum diuturnus fuit, sed etiam omnibus molestiis, quae eum circumstabant, finem fecit. Nam etsi anno 1699. ex custodia Csejtensi fuerit liberatus: tamen an. 1729. causa Bohemi *) cujusdam Venceslai Mlinarics in carceres conjectus atque demum 1731. ex sententia delegatae Commissionis benigno mandato Caesareo-Regio ad perpetuos carceres in arce Posoniensi subeundos condemnatus fuit, ea cum conditione, ut tribus diebus per hebdomadam solo pane et aqua contentus sit. In molesto hoc carcere, uti ipse confiteri sole-

f) Inter hos numerandus est Matthias Boleti, condamnatus ecclesiae Varbo-czensis Minister, genio ultra modum indulgens et eam ob causam, auctoritate superiorum ab ecclesia remotus. Qui remotionem culpa sua procuratam ita moleste tulit, ut, dum Fiscus regius contra Superintendentem Krmannum Posonii in custodia detentum inquireret, illatam sibi, ut falso existimabat, injuriam ulturus, adversus eum testaretur, homo vindictae magis, quam melioris conscientiae tenacior. Videri potest in hanc rem Processus in causa Krmannia consignatus. Sed didicit tandem malo suo Boleti, quam periculosum sit sola vindictae cupiditate in alium dicere.

*) A szélen irónnal: Moravi.

bat, praeter verbi divini solatia non parum se erigebat eleganti cantico Mariae Reginae Hung., quod olim in slavicum transtulerat *g*). Decennalis hic carcer tanto ei evenit molestior, quanto magis omni ei societate carendum erat. Nemo enim amicorum in carcerem admittebatur, etiam dum extrema eidem imminerent. Nam ex sententia magni cujusdam viri de Krmanno optime meriti

Dum petit ille suos, aditus praecluditur omnis,
Ejicitur lugens uxor et ipsa foras.

Hinc inter tot tantosque casus disposito ad beatam illam aeternitatem animo, tantum abest, ut a sacris Evangelicis desciverit, ut potius tamquam genuinus Aug. Confessionis socius, doctrinam, quam vivus professus est, 17. mensis Sept. an. 1741. in arce Poseniensi morte obsignaret, solenni satis funere tumulo illatus.

Non male igitur existimabat quidam :

Triplex exilium, zelus, duplex quoque carcer
Dicit Krmannum non temerasse fidem.

Nos ei non sine ratione hoc in acceptis referre debemus, quod Agenda slavonica, quibus fere per duo secula nobis carendum fuit *h*), ex variis auctoribus probatis congesta conscripserit et dum jam in carceribus fuisset constitutus, opera Ven. Ambrosii an. 1734. edi curaverit. Utinam Grammatica ejus Bohemico- Slavonica lucem adspicere potuisset, cum vir fuerit lingvae hujus multo peritissimus.

Tantum de vita Krmanni, qui uti ipse in Epitaphio suo, cujus jam facta fuit mentio, posteritatis gratia adnotavit :

Natus in exilio, denatus in exilioque,
Respondent primis ultima fata suis.
Sed faustum exilium, ex quo patria dulcis aditur,
Aeternaque datur pace, quiete frui.

g) Videatur de eo Cithara Sanctorum Tranoscii edit. an. 1736. p. 569.

h) Exstant quidem variorum Agenda Bohemica, de quibus nunc non est agendi locus, sed ita comparata, ut eis propter diversitatem rituum in ecclesiis nostris Slavonicis commode uti non possimus.

Caput II

de

Superintendentibus Cis-Tibiscanis.

In superioribus Hungariae partibus sub initium hujus seculi non tantum Inclyti Comitatus cis Tibiscum siti, sed Liberae etiam Regiaeque Civitates peculiarem suam venerabantur Superintendentem. Hinc ut distincto ordine praesens decurrat Commentatio, Caput hoc duplici Membro definietur. Feliciter.

Membrum I

de

Superintendentibus Inclytorum Comitatum.

Hic principe loco mihi designandus est haec vice

Andreas Bodo.

Quod olim de Pomponio Attico memoriae prōdidit Nepos, eum ab origine stirpis Romanae generatum perpetuo a majoribus acceptam equestrem obtinuisse dignitatem, idem haud incogitate de nostro pronuciari potest, qui Inclytae gentis Bodoianae decora et servavit studiosissime, et multis fortunae accessionibus haud vulgariter amplificavit. Si enim verum est, quod nemo dubitat, natalem magni viri locum anno adhuc 1258. liberalitate Belae IV. Regis majoribus ejus collatum fuisse *a*), quis est, qui non facile intelligat, jam tum in gente Bodoiana praeclara virtutis bellicae aut fidelitatis in regem documenta exstare debuisse? Nec procedente demum tempore gens haec descivit ab ingenio, sed virtute militari fidem regi et regno adprobabat. Casparus profecto Bodo non tan-

a) Vid. Regestum de Thurocz § II., quod ab Emerico Bubek Judice Curiae Regiae jussu Sigismundi regis ad refellendas Joh. Litterati fraudes concinnatum fuit. Vid. Belius Tom. II. Notitiae Hung. p. 323. seqq.

tum carceres, in quos cum Ladislao et Matthia Corvinis Budae an. 1458. a Ladislao Posthumo rege conjectus est, forti animo pertulit *b*), sed etiam praeclara rerum patriae procuracione hoc meruit, ut dum Matthias regum Hung. olim felicissimus praeter expectationem moreretur, eidem deducendi funeris et procurandae sepulturae munus, communi Procerum regni sententia, deferretur: qui non raptim, ut Cromerus existimavit, sed augustali prorsus et digna tanto rege celebritate maximaque totius regni adprobatione delatam sibi provinciam exequutus est *c*). Quod virtutem militarem adtinet, Franciscus Bodo, aetate sua inter fortissimos belliduces numeratus fuit, dignum profecto immortalitate nomen, si aequiori semper bello vires suas impendisset. Hoc ad laudem ejus satis est, quod cum an. 1523. Ferhates Begus cum milite turcico Savum praetergressus barbara feritate in Hungaria saevitisset, Franciscus Bodo cum Paulo Tomorio et Georgio Battyánio, caesis barbarorum XV. millibus, collapsam gentis suae fortunam, successu ad miraculum felici, reparavit *d*). Nec defuerunt familiae Bodoianae, qui eam melioribus litteris illustrarent. In his praeter Michaelem et Casparum *e*) merito censendus est Summe Ven. quondam Andreas Bodo de Bodofalva, Eccl. Evang. in Inc. Comitatibus Gömöriensi, Kis Hontensi, Tornensi, Borsodiensi et Szolnokiensi Superintendens dignissimus. Natus hic fuit in Inc. Comitatu Thurocziensi pago Bodofalva, primitus Othmár dicto, an. 1636 patre nobili Daniele Bodo, matre autem Jezernicziana. Ea tum erant tempora ut ne Thuroczienses quidem scholis Evangelicis destituerentur. Nam uti passim tradebantur studia, quibus puerilis aetas imbui debet, ita apud Moschovienses et Martinopolitanos locus erat perdiacendis melioribus litteris ut quamplurimum opportunus. Hic ad superiora praeparatus, cum ad sacratiores illas litteras, aliorum quoque popularium exemplo propenderet, salutatis celebrioribus patriae

b) Vide Gregorii Pethő Chronicon Hung. p. 77. ad a. 1458.

c) In hanc rem praeter ceteros consuli meretur Joh. Sigism. Podlusani de Balasch Plebani Carponensis de rebus gestis Hung. Regum pars 1. p. 406.

d) Videatur citatus Podlusani ibid part. 1. p. 482.

e) Michael Bodo seu Bodovinus fuit an. 1586. ecclesiae ad aedem D. Mariae apud Thuroczienses Pastor: Casparus autem filius ejus an. 1610. Ujhelyini ad Kiszuczam scholae Rector: non Bodovinus, sed Bodorovinus hic Rector fuit. (A z ut ó b b i m o n d a t m á s é n a k l á t s z i k.)

scholis tantam sibi rerum divinarum cognitionem comparavit, ut magnorum virorum sententia Ministerio dignus fuerit aestimatus. Hinc singulari Dei providentia ad regendam ecclesiam Rimabanyensem evocatus eum se praestitit, ut procedente tempore Briznam delatus, officio Ministri, ut vulgo loquimur, secundarii cum fructu fuerit defunctus. Vix tres et decem abierant hebdomadae, Briznensibus 23. Mart. an. 1683. valedixit et Csetnekinum delatus est, postquam Briznensibus in refusionem sumtuum 100 floreni fuissent numerati. Hic ita partes officii sui administrabat, ut an. 1688. Consenior Ven. Contubernii fuerit constitutus, in quo tanta cum prudentia versatus est, ut an. 1690. 11. Apr. Ven. Jacobus Regius, jam tum Sajó-Gömöriensis Pastor et Ven. Contubernii Senior, omni studio eo nomine officium Senioris deponere voluerit, quod in Ven. Andrea Bodovino existimabat se invenisse virum, cui officium hoc optimo jure conferri possit. Et quamvis nemo Rev. Fratrum iverit inficias: Ven. tamen Andreas Bodo destinationibus ejus vel maxime resistebat, in publico Contubernii Conventu ad eum loquutus: Tandem tu noster Senior non eris, quando morieris. Nec alias evenit, ac Ven. ille vir divinabat. Postquam enim Jacobus Regius f) annos 21. in officio

f) Jacobus Regius alias Király dictus patria erat Szencziensis Trans-Danubianus Pastoris Evangelici filius. Rosnaviam inductus est an. 1656. die 11. Maji in locum Stephani Caspari Kőszegiensis, Osgyanum evocati. Cum magna utilitate sacris hic defunctus est, sed non sine ludibrio fortunae. Ut enim exstantiora tantum commemorem, an. 1671. 27. Maji cum Pastore germano Paulo Zarevuczio in exilium missus, dum eum auditores comitarentur, in Rudnik substitit atque e regione civitatis sub arbore quadam ultimum Vale dicturus, verba Davidis fugientis 2. Sam. XV. 25. adscripta explicuit. Neque fefellit eum divinatio, dum anno statim sequente 1672. mense Junio per tumultuantes Hungaros, imprimis Petrum Madácsium Csetnekino Rosnaviam reduceretur, sed Posonium citatus, cum Reversalibus non sine infamia nominis sui subscriberet, officio excidit atque rursus per Comitata Sempronien-sia anno 1681. Rosnaviam devocatus ad annum 1687. officio praefuit et praefuisset imposterum, nisi anno dicto 27. Febr. ab Archiepiscopo Strigoniensi Georgio Széchényio cum Pastore germano Melchiore Birnsteinio et scholae Rectoribus Rosnavia fuisset exturbatus. Tandem Csetnekini in privato comoratus anno 1690. Sajó-Gömöriensium Pastor constitutus moritur. In conjugem sibi adsciverat Annam, Joh. Thurnaj viduam, sex demum liberorum matrem, ex quibus Ven. patris sui decus utcumque tuebatur Josephus, scholarum Osgyanensis, Padariensis et Mokroluczensis Pastor. Priore conjugem anno 1667. mortua, anno sequente mense Novembri adsciverat sibi in uxorem virginem Susannam Hulik Rosnaviensem, in quo tamen matrimonio praeter patientiam cum poenitentia conjunctam nihil erat residuum.

Senioris exegisset, laboribus et variis, uti tunc erant tempora, molestiis fatigatus apud Sajó-Gömörienses an. 1690., quo illuc delatus erat, moritur et Ven. Andreas Bodovinus omnium consensu 7. Febr. an. 1691. Contubernii Senior constituitur. In hoc officio omnia eum praeclare egisse vel hinc conjiciamus, licet, quod cum Paulus Kajali et Israel Mártonfi, qui certis Comitatus ex arbitrio Principis cum auctoritate praeerant, sine cessatione svaderent, ut in his partibus eligatur Superintendens, unus omnium dignissimus existimabatur Andreas Bodo, ecclesiae Csetnekiensis Pastor, cui hoc, quicquid erat muneris, conferretur. Communibus ergo suffragiis 22. Maji an. 1704. ministerio Rev. Georgii Petrovicii *g)*, Ministri Nagy Szlabossensis et Ven. Contubernii Consenioris in templo Csetnekiensi inauguratus fuit, postquam Rev. quondam Georg. Pyxiades *h)*, Felső Sajóiensium Pastor, necessarium scitu circa electionem Superintendentis processum ex 1. Timoth. III. 6. pro ea, qua erat facundia, exposuisset. Officium Superintendentis tanta cum diligentia procurabat, ut ei ad laudem praeter diuturniorem officii usuram nihil defuerit amplius. Omnia enim, quae Superintendentem Evangelicum sive ornant, sive perficiunt, sociata quasi opera in eo coaluerant. Nam praeter eruditionem longo rerum usu comparatam et gravitatem, quam ei procera corporis constitutio et

g) Georgius Petrovicus in I. Comitatu Soliensi pago Hrochot natus, continuatis Schemnicii et Eperjesini studiis primum in Ochtina scholae praefuit, dein post biennium ad regendam ecclesiam Dluholuczensem vocatus, Sabinam, Rev. Andreae Bubenkii Ochtinensium Pastoris filiam, in conjugem sibi sociavit, duorum filiorum et totidem filiarum matrem. Ex hac ecclesia religionis causa exturbatus, dum in privato vixisset, ad Kobellarenses evocatus, brevi quidem tempore, sed cum fructu ibidem versatus est. Hinc ad Nagy Szlabosenses an. 1681. delatus, etsi hanc stationem cum Coronobanensi commutaverat, tamen inter tumultus bellicos laesa globo polonico manu ad Nagy Szlabosenses post annum rediit et ibidem an. 1705. annos natus 80 beate in Domino mortuus est, postquam in Ven. Contubernio officio Notarii et Consenioris cum laude fuisset defunctus.

h) Georg. Pyxiades patria Arvensis, Scepusio ex ecclesia Svabocensi at 1699. ad Felső Sajó vocatus, ibidem ad an. 1706. cum fructu laboravit, dein ad ecclesiam Polomkiensem juxta Granum delatus, cum utilitate sacris operari coepit, sed inter belli tumultus praeter opinionem an. 1709. captus et Briznam ad carceres deductus, postquam ex iis liberatus fuisset, ecclesiae Nagy Szlabosensi praefuit, Notarii et Consenioris titulo insignis, vir in commune utilis non sine multorum dolore an. 1712. in Domino mortuus.

prolixior, quam cum venustate alebat, barba conciliabat: etiam melliflua oris suavitas ita eum commendabat, ut ex vero amicus quidam in obitum ejus cecinerit:

Ingenio praestans, sermo cui melle fluebat
Dulcior, exspirat i).

Inciderat quidem Bodovinus noster in ea tempora, quibus major regionis, quam religionis cura habebatur: ille tamen inter fatales rerum conversiones ita prudenter versatus est, ut et fidem regi servaverit et gregi sibi commisso procurarit tranquillitatem. Quod de Marpurgo memoriae proditum est, ibidem uno eodemque tempore tres floruisse Professores, Joh. Steuberum, Menonem Haneckenium et Justum Feuerbornium, quorum primus ingeniosissimus, alter religiosissimus, tertius laboriosissimus nuncupabatur: idem de tribus Superintendentibus Csetnekini haud interrupta serie docentibus, ex vero dici potest. Bodovinus enim facundia et ingenio, Antonius religiosa pietate, Ambrosius continuis laboribus publico commodo destinatis immortalitatem meruerunt. Si Pericles ex sententia veterum, cum pro concione diceret, tonare et fulminare credebatur: quanto magis idem de Ven. Bodo existimandum est cui a natura tam penetrabilis vox obtigerat, ut non tantum amplissimum templum Csetnekiense impleverit, sed etiam extra templi pomoeria fuerit exaudita. Hoc uti rarum est naturae beneficium, ita eum nulli non vel maxime commendabat. Hinc habent profecto mea sententia, cur apud seram posteritatem quoque gloriantur, Thurocziensés, qui a longis jam retro temporibus nulli non statui sufficebant viros, tractandis cum utilitate rebus, ut quamplurimum idoneos, de quibus hac opportunitate multa ex vero, neque sine utilitate dici potuissent, nisi mihi hanc operam alteri occasioni servare staret sententia k). Mihi hac vice satis est ad oculum, quod ajunt, demonstravisse, Sum. Ven. condam Bodo Andream ita praeclarum Gömöriensibus non minus, quam Thurocziensibus conciliasse decus, ut ingrati simus, oportet, nisi tanti viri memoriam cum

i) Vid. M. Georgii Hegyfalusy eccl. Rosnaviensis Pastoris Suprema honoribus Superintendentis nostri dedicata in folio.

k) Collegi magno labore Centuriam Litteratorum Thurocziensium, qui post emendatam religionem sacris Evangelicis cum laude praefuerunt, si fata nactus fuero propitia, typis exscribendam.

debita honoris praefatione posteritati commendemus, siquidem omnium bonorum sententia :

Quibus fulgebat, vix laudes, dona minores,

Quam Basili quondam promeruerit scholae,

uti ex vero laudatus M. Hegyfalusy l. c. iudicabat. In conjugem sacro matrimonii foedere adsciverat sibi virginem multo honestissimam Catharinam Martius, cum qua felici traduce non minus filium Andream, aequae sacerdotali dignitate conspicuum in ecclesia Coronabanensi prope mortuum, quam filiam Mariam generavit, eo nomine ut quamplurimum felicem, quod Sigismundo Thöke celebri per Hungariam Advocato in conjugem fuerit copulata. De nepotibus tanti viri ex filio Andrea natis, Matthia, Andrea, Johanne et Jona nihil opus est commentari. Etsi enim ea in parte ab avo et Ven. patre suo desciverint, quod non ecclesiae, sed statui politico studia sua consecrarint, in retinenda tamen, defendenda et propaganda religione Evangelica majoribus suis nihilo sunt inferiores. Optavissent certe omnes, qui Superintendentem nostrum propius noverant et praeclaras animi corporisque dotes juxta cum aliis admirabantur, tanto viro perpetuitatem; quandoquidem omnium bonorum iudicio hic Pyllos annos vivere dignus erat: sed dum magnus ille imperator et arbiter rerum nostrarum, Deus, suos e statione evocat, colligenda nobis vasa sunt et confectis feliciter rebus discedendum. Postquam igitur exquisita cum diligentia omnia peregisset, quae ad officia Evangelici Pastoris, Senioris et Superintendentis pertinere existimabat, inter continuos belli tumultus 10. Mart. 1708. duos et septuaginta annos natus placide in Domino obiit, post varios casus, post tot discrimina rerum aeternae quieti destinatus. Deducendo funeri dies 16. Martii dictus fuit, quod tanto solemnius peragebatur, quanto viri fama et meritis celebriores demortuo Superintendenti parentabant. Praeterquam enim quod Rev. quondam Georgius Pyxiades Polomkiensis juxta Granum V. D. M. et M. Georgius Hegyfalusy Rosnaviensium Hung. Pastor in area parociae Csetnekiensis pro concione perorabant; etiam Ven. Andreas Sextius Alnoviensium ecclesiastes in templo, cui corpus Ven. Superintendentis illatum fuit, officii sui partibus ita defunctus est, ut ad solenniorem tanti funeris deductionem nihil defuerit amplius. Dolebant maturum licet tanti viri obitum omnes, et in peregrina tellure sepultum domestico affectu deplora-

bant *l*). Certabat pietate vulgus et nemo non devotis ejus manibus ex veteri Romanorum formula quietem longe exoptatissimam precebat: viri autem meritis et eruditione insignes voce et scriptis famam magni viri posteritati commendabant. Hoc et ego fecisse existimabor; si ei postremo ex sententia litteratissimi Chlevinii *m*) parentavero:

Hic jacet
Nobile stemma, Patriae gemma, flebile thema,
Bodovinus.

M. Johannes Sárossi.

Dum vitam Summe Ven. hujus Superintendentis sequuturæ posteritatis gratia describere meditarer, erant non pauca, quæ honestas destinationes meas si non sufflaminare penitus, remorari tamen videbantur. Metuebam enim non parum, ne mihi in tanta documentorum raritate adparatu rerum scribendarum destituto Horatianum illud objiciatur:

amphora coepit

Institui currente rota cur urceus exit?

Sed dum praeclara tanti viri merita tacitus ipse mecum reputarem, malui de vita ejus breviter commentari, quam ea, quæ in adversaria mea retuleram, perpetuo silentio oblitterare. Ut igitur sciant posterius, M. Johannes Sárossi *a*) primam adspexit lucem in Inc.

1) In hanc rem conferri potest M. Georgii Hegyfalusy Carmen lugubre et Per. condam Matthiae Szentiványi anagrammata in obitum Superintendentis elaborata.

m) Stephanus Chlevini, ex vico Chlévén in Comitatu Trenchiniensi oriundus, nobili genere natus, sub initium seculi hujus scholæ Alnoviensi et Csetnekiensi tanta cum laude praeerat, ut judicio Ven. Superintendentis Antonii, antecessores suos tantum non omnes anteiverit. De eruditione boni viri Hermes ejus Fátiloquus in obitum Ven. Superintendentis Andreae Bodo stilo, ut dicimus, lapidari CorDe IVsto IngeMIsCente erectus, luculentum satis testimonium esse potest. Obiit saeviente peste Csetnekini anno 1710. omnium sententia, nisi Deo aliter placuisset, longiore vita dignus.

a) Superintendens noster cum viro ejusdem nominis circa annum 1646. Sajó-Gömöriensium Rectore confundi non debet. Uti enim noster omnem laudem, ita Rector ille propter vitam licentiose actam; exiguam admodum commendationem apud posteritatem meritus est.

Comitatu Sárosiensi, oppido ejusdem ditionis pervetusto Nagy Sáros dicto, anno reparatae salutis 1646. Patrem divino munere natus erat equestri dignitate conspicuum, Johannem Sárossy, matrem vero Annam, nobili aeque Iglodiorum *) gente oriundam. Non satis erat eum auspiciato nasci, cum idem multis haud raro obtingat, sed a teneris omni parentum studio ita educabatur, ut nemo fuerit ex amicis, qui non facile divinaret, eum, ubi adoleverit, minari virum multis nominibus in commune profuturum. Hinc ab ineunte statim aetate litteris dedicatus, summa animi contentione ad omne earum decus enitebatur et nihil facile negligebat, quod ex sententia superiorum destinationibus suis profuturum existimabat. Praeterea enim quod in schola patria meliores litteras didicerat, etiam ad scholam Berzeviczensem, quae eo tempore apud Sárosienses una omnium maxime florebat, ex sententia majorum delatus, ita omnibus studia adprobabat, ut superioribus quoque dignus fuerit aestimatus. Nec longiori opus erat deliberatione, quo adolescens discendi cupidus debeat proficisci, cum in promptu fuerit Eperjesini Statuum Evangelicorum Collegium b), viris, qui studia confluenti eoque juventuti cum maxima dexteritate profitebantur, ut quamplurimum insigne. Tunc enim singulari Dei munere, non sine praesentissima discentium utilitate Collegio moderabatur Samuel Pomarius c) et

*) Potius Iglodiorum a vico Comitatus Szathmariensis Iklod. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e.)

b) De Collegio Eperjesiensi videri potest Johannis Sartoris, Pastoris Eperjesiensis, Oratio Panegyrica tempore foundationis illustris Athenaei illius 6. April. an. 1666. publice recitata et Oratio auspicalis in solenni inauguratione ejus a Samuele Pomario, SS. Theologiae Doctore et P. P., ejusdem Gymnasii moderatore supremo, 18. Octobr. an. 1667. instituta. Prodiit Wittembergae 1669.

c) Samuel Pomarius SS. Theologiae Doctor et Collegii Eperjesiensis supremus Director, ab an. 1667. ad primordia usque decennalis illius ecclesiae divexationis de juventute Hungariae Evangelica immortaliter meritus, variis utilissimisque scriptis orbi Hungarico innotuit. In hunc censum praeter memoratam orationem et quae ei adnexa sunt, referri debet Hexas Disputationum Theologicarum de natura peccati originalis an. 1669. edita, ubi praefatione proluxa satis et eleganti haud vulgaris rei Evangelicae monumenta complexus est. Eperjesino exturbatus Lubecensis ecclesiae Superintendentem egit, de quo legi merentur ejus acta tragica Reformationis Eperjesiensis an. 1673., ne quid de compluribus variisque argumenti Disputationibus ejus adjiciam.

de juventute Hungariae immortaliter meriti M. Isaacus Zabanius *d*) et Elias Ladiver *e*). Ea profecto sub his doctoribus Collegii Eperjesiensis fuit celebritas et amplitudo, ut exteri quoque advolarent litteratae Palladi in hoc meliorum litterarum sacrario militaturi. Hic Sárossyus non ea tantum, quae ad circulum studiorum humaniorum pertinebant, studiosissime sectabatur; sed etiam lingvas orientis, et quibus se totum dederat, sacratiores litteras ita percolebat, ut superiorem fere habuerit neminem. Testatus est id ipsum luculentissime, dum sub praesidio D: Pomarii *Analysis et Exegesis* Art. 1. Aug. Confessionis 30. Oct. 1670. cum laude tueretur *f*). Confirmandorum studiorum causa peregre factus, circa an. 1671. Wittembergam commigravit et in omni studiorum genere viros toto orbe celeberrimos, Calovium, Meisnerum, Querstedium, Deutschmannum, et qui jam tum ab Hungaria exulabat, Pomarium, duces sectatus est cum ea diligentia, ut jam tum eruditorum sententia in magnis haberi coeperit et prout meruerat, aestimari. Hoc meo arbitrato vel hinc facile est existimare, quod Pau-

d) M. Isaacus Zabanius in I. Comitatu Barsiensi patre Rev. Johanne Zabanio, ecclesiae Brogyanensis Pastore, natus, studuit Prividiae, Sempronii et Wittembergae, ubi sub M. Joh. Bayero de Gnomone Scioterico an. 1658. disputavit. Post reditum fit an. 1660. Briznensis scholae Rector, atque demum in Collegio Eperjesiensi Metaphysicae P. Professor. Tempore magnae illius persecutionis in exilium actus Cibinii in Transilvania non tantum Professorem, sed etiam Rectorem Gymnasii, dein Orbacensis et Sebessiensis ecclesiae Ministrum, atque tandem Cibiniensium Pastorem et ejusdem Capituli fere continuo Decanum egit. Tandem non an. 1699., quemadmodum existimabat Czvittingerus, sed an. 1707. 18. Maji apoplexia tactus obiit, uti Georgius Soterius, eruditus ille Transilvanus in Descriptione civitatis Cibiniensis ad posteritatem adnotavit. Filius ejus Joh. Zabanius, alias indultu imperatoris Leopoldi Joh. Sachs de Hartenek dictus, eo ascenderat, ut supremus iudex Saxonum diceretur: sed propter vitam licentiose actam an. 1704. iniquiore fato functus est. Vid. Timon in Epitom. Chronol. rerum Hung. ad an. 1704. De variis Zabani Disputationibus vid. Czvittinger in Spec. p. 405.

e) Ladiveri vitam exposuit Czvittingerus in Specimine p. 222. Hoc ad posteritatem scribi debet, Ladiverum nostrum tanti a Schäsburgensibus in Transilvania habitum esse, ut habita meritorum ejus ratione in templo Cathedrali perpetuam ejus extare voluerint memoriam.

f) Prodiit Disputatio haec Bartphae anno 1670. in IV. Diversus ab isto erat ille Joh. Sárossy Hungarus, qui Albo Prorektoris Arnd Tubingensis an. 1659. d. 13. Maji nomen suum inscripsit.

lus Paskony alias Michaelides appellatus, Academiae Tubingensis civis, an. 1672. Dissertationem suam, quam sub praesidio Joh. Adami Osiandri de Typo legis moralis ex dicto Jacobi II. 12. tuitus est, Sárossyo Wittembergae agenti scripserit, nunquam alias facturus, nisi dignum virtute ejus pretium statuere voluisset. Hoc autem felicius apud exteros versabatur, quo plures nactus fuit nutritios, sacros ejus conatus profusa liberalitate adjuvantes. Inter reliquos principe loco collocari meretur Stephanus Bakay, I. Comitatus Abaujvariensis sanctioris senatus Adsector. Praeterquam enim quod Sárossyus apud Wittembergenses liberaliter aluit, etiam id benevolentia sua effecit, ut in proemium bene collocati temporis Magister renunciaretur. Hoc uti palam erat omnibus, ita neque ipse Sárossyus diffiteri voluit, cum inter cetera beatis magni sui nutritii manibus parentaturus confitetur :

Leucoreas Musas, te promotore, colebam ;
ne quid de liberalitate ejus adjiciam, reduci etiam in patriam Sárossyo multis modis declarata g) Postquam Deo propitio in patriam revertisset, apud Toporczenzes scholas aperuit, nobili imprimis juventuti dedicatas. Nec male cesserunt conatus erudiendae juventuti Scepusiacae destinati. Ita enim inter fatales rerum in patria conversiones educabatur, ut Görgeii, Draveczkii et plures alii ex se prodire in publicum et singularem doctrinae fructum ostendere potuerint. Haec quidem scrupulosius recognoscere opus non est, cum certum sit et exploratum, Spect. quondam Georg. Görgei de Toporcz, magnum, dum viveret, Scepusiensium decus, bene sub institutione Sárossyana collocati temporis nunquam sine profusa voluptate meminisse. Hoc eo valuit, ut multi operam ejus expeterent, in commune profuturam : Cassovienses tamen omnium cesebantur felicissimi, qui an. 1682. delata Sárossyo Pastoris hungarici provincia, Ministerio ejus per annos 6. et viginti fuerant usi. Hic animum conjugio adjecerat, Anna Maria Gschtetneriana Cassoviense in conjugem sociata, quod etsi concurs fuerit matrimonium et ad vitam cum commoditate transigendam comparatum : ste-

g) Videri possunt justa funebria in obitum Steph. Bakay cum Thökölio in aciem prodeuntis et praeter omnem expectationem occisi, a Sárossyo nostro carmine elegiaco exsoluta. Hinc lector plura de liberalitate Bakayana condiscet. Prodiit Cassoviae litteris Steph. Bossitz.

rile tamen et vel hoc nomine peracerbum, siquidem ex sententia poetæ:

Ut tristis sine sole dies, sine sidere nox est,
Sic tristis sine prole domus.

Hanc orbitatem Ven. Sárossy utcumque levaturus, pupillum quendam in filium susceperat, quo nomen suum venturae posteritati commendaret et declararet litterato orbi, qualis futurus erat pater, si eum cum fortuna Deus filio donavisset. Sed uti haud raro optimæ quoque destinationes ad irritum cadere consueverunt, ita hic præter omnem opinionem evenisse, tristis admodum eventus comprobavit. Nam etsi adscitus ille Sárossy, postquam adolesceret, nobili Liptoviensium apud Benedekfalvenses juventuti cum laude præfuerit; nominis tamen Sárossyani et beneficiorum prolixa liberalitate in se collatorum immemor, desultoria animi levitate degeneravit et eo ipso non [tantum breve post tempus perfidiae poenas exsolvit, sed etiam proprio exemplo vulgatae sententiae:

Sequitur iniquos ultor a tergo Deus *h*)

locum fecit, indignus, qui tanti viri nomen usurpavisset aliquando. Longum foret enarrare, quanto cum emolumento apud Cassovienses officio sacro defunctus sit; cum nullus fere abierit dies, quin magno cum fructu in coetu hungarico fuerit terminatus. Nam præterquam quod

dogmata coelo

Missa dabat populo, nullis temerata tenebris:
etiam raro admodum exemplo, excellenti doctrinae
jungebat foedere

Firmo virtutem raram,

quod scilicet ore docebat, expressit vita, uti Rezikius *†*) de juventute hungarica præclarissime meritis, dum ei provinciam Superatten-

h) Vid. Seneca Hercule furente ves. 384.

†) Joh. Rezikius in l. Comitatu Nitriensi pago Koros alias Kruschowcze Slavis dicto, patre Rev. Nicolao Rezik Hajniczeno, primum Rectore in Diva Helva, Ven. Contubernii Nagy Tapolczensis Seniore, matre Susanna Palach Martinopolitana natus, postquam adolevisset Eperjesini Pomarium, Zabani-um et Ladiverum duces sectatus est tanto cum emolumento, ut an. 1669. sub Pomario Articulum VII. Augustanae Confessionis de Ecclesia in solenni anniversario examine ad disputandum cum prolixa nominis sui commendatione defenderit. Ad exteros delatus jam an. 1674. Thorunii numero docentium

dentis carmine non minus eleganti, quam docto Bartphae an. 1708 evulgato gratularetur, ex vero pronunciabat. Nec aliter fuisse vel hinc pronum est existimare, quod dum divino prorsus arbitrio mutandus ei fuisset locus et habitus ejus in vulgus spargeretur, coetus Cassoviensium Evangelico-Hungaricus et nullus non

Solvitur in lacrymas, lacrymans comitatur eundem.

Postquam enim Ven. Andreas Bodo Superintendens satur aetatis beate in Domino obiisset, sanctior ille senatus Statuum et Ordinum Evangelicorum, Sigismundus Jánoky, Georg. Gerhard, Joh. Radványi *), Michael Okolicsányi, Petrus Csemniczky, Stephan. Petróczy, Laurentius **) Zay, Paul. Kajali, Georg. Ottlik, Paul. Prileszky et Mart. Izdenczy, scriptis Agria 24. Maji an. 1708. litteris, M. Joh. Sárossy Cassovia ad Rosnavienses evocandum et Superintendentem

adscriptus fuit et an. 1682. Professor meruit salutari. Apud Cassovienses scholas an. 1671. 6. Nov. per Georgium Bárson Episcopum cansas, nutritii earum an. 1684. reserare decreverunt et directionem omnem Rezikio obtulerunt. Cogitabat ille diutius, quid facto opus sit, vicit tamen haesitantem amor patriae et oblatam sibi provinciam suscipere imperavit. Sed vix Cassoviam delatus est, se non parum erravisse cognovit et recordatione praeterrorum dolorem auxit. Praeterquam enim quod rem scholasticam negligenter curari advertebat, etiam a Michaele Fischero collusionis cum Thökölyi accusatus, ab eodemque tanquam Camerae Praeside in custodiam traditus cum dolore pristinae libertatis recordabatur. Paucos post dies libertati restitutus apud Eperjesienses in Collegio stationem Professoris eloquentiae, poeseos et historiarum occupavit et cum haec honoris accessio diuturna esse non posset, erepto nostris Collegio, ad Thorunienses rediit ibidemque 1690. Professor ordinarius constitutus est. Quanta hic cum celebritate fuerit versatus, cum publica loquantur documenta, percensere opus non est. Hic inter plurima alia conscripsit Panegyricum honori Johannis III. Poloniae regis an. 1696. defuncti dedicatum. Tandem restituto an. 1705. sub tumultibus hungaricis Eperjesiensibus Collegio, in patriam revocatus, tanta cum utilitate frequentissimae juventuti praefuit, ut ei ad laudem immortalem, praeter diuturniorem vitae usuram, nihil defuerit amplius. Desaevebat in Hungaria an. 1709. et sequente lues admodum contagiosa, quo malo Celeb. quoque Rezikius finem vivendi facere coactus, triste sui desiderium reliquit posteritati. De Gymnasiologia ejus dictum fuit in superioribus, quod satis est. In conjugem duxerat Mariam Elisabetham Berzeviczy omni mea laude superiorem. Nam etsi Rezikio diuturna fuerit matrimonii hujus possessio, nunquam tamen molesta, uti ipse ante obitum scripto testatus est.

*) A szélen irónnal: Radvanszky.

**) A szélen irónnal: Andreas.

constituendum multis numero argumentis cum auctoritate persvadebant. Nec in vanum abierunt sanctioris illius senatus consilia, maturo iudicio suscepta. Quatuor enim viri meritis et eruditione graves, perusitato in ecclesiis Evangelicis more, candidabantur *k*) eo nomine, ut qui plurima suffragia fuerit consequutus, communi totius Districtus sententia Superintendentis officio defungatur. Collectis igitur rite suffragiis omnium consensu M. Joh. Sárossy Leutschoviae an. 1703. sub finem Julii ecclesiarum Evangelicarum I. Comitatus Gömöriensis, Kis Honthensis, Tornensis, Borsodiensis, Hevesiensis et Szolnokiensis Superintendentens constituitur *l*) et novo hoc axiomate insignitus 30. Sept. ejusdem anni Rosnaviam inducitur, non minus officia Superintendentis, quam Pastoris hungarici peracturus. Postquam enim Ministri Rosnavienses propter mutuas collisiones arbitrio et sententia superiorum sedibus moverentur, unus inter reliquos dignus videbatur Sárossyus, qui senatus consulto puriori coetui hungarico praeficeretur. Dicitur non potest, quanta cum voluptate adventantem receperint Rosnavienses, pacis, tranquillitatis et boni ordinis vel maxime studiosi. Nec fefellit eos opinio, quam de Ven. Sárossyo cum ratione susceperant. Praeterquam enim quod turbas, insolentia Hegyfalussyana excitatas, prudens sedavit, etiam collatis cum I. patronatu consiliis, ecclesiam ad pristinum ordinem revocavit, et quod collaudabant omnes, fluctuanti tunc naviculae divino munere quietem procuravit. Sed vix medius abierat annus, dum magno omnium dolore 10. Febr. circa primam noctis horam an. 1709. inevitabili mortis lege exstingvitur, 14. ejusdem mensis in templo Rosnaviensi hungarico tumulo illatus, postquam annos 3. et 60. rebus humanis interfuisset. Parentabant tanto viro in magna populi frequentia Rev. Georg. Vedrinszky Minister Kun-Taploczensis et Rev. Michael Umbehauen, ecclesiae Rosnaviensis I. nationis Germanicae Pastor, ne quid de oratione, quam in laudes Sárossyi conscripserat, communis, uti tunc erant tempora, Hungariae Praeceptor Mischoviczius *m*) hac vice adjiciam.

k) Praeter M. Joh. Sárossy candidati fuerunt: Andreas Sextius Alnoviensis, Georg. Paulini Taxoviensis, et Joh. Makovinyi Rostariensis Minister.

l) Videri potest in hanc rem cit. p. 114. Rezikii carmen.

m) Michael Mischovicz, cujus majores Croatae erant, apud Liptovienses in pago Szmrecsán nobili genere natus, studia ut quamplurimum Rosnaviae percoluit, praepatore usus litteratissimo viro Joh. Braxatoris alias Bánóczy

Hoc exploratum est, neminem fere fuisse, qui non profuse doluerit tantam purioris coetus Evangelici jacturam inexpectata morte magni Sárosyi conciliatam. Nam praeterquam quod nomen eruditi viri cum dignitate tuebatur, etiam gravitate morum excellebat, quam ei inter reliqua ingenua indoles et ex sententia vulgi promissa, quam alebat, barba, cum veneranda canitie conciliabant

a patria sua appellato, Pomarii discipulo et an. 1683. apud Rosnavienses Rectore. Hunc praeceptorem suum ita adamaverat, ut etiam Rosnavia exturbatum et ad Rahovienses vocatum fuerit sequutus, ibidem post aliquot annos celebri, uti meruerat, ritu sepultum. Dum haec fiunt Mischoviczius Losonczinum *) ad Per. quondam Franciscum Bulyovszky, I. Comitatus Neogradensis t. t. Vice Comitem vocatus tres ejus filios, Stephanum, Ladislaum et Emericum cum numerosa nobilium juventute privatim informabat, quod cum ferre nollent Reformati, apud Trenchinienses nobili praefuit juventuti, ubi an. 1697. Rudimenta puerilia, uti ipse in praefatione Donati fatetur, sub prelum misit. Hic sibi in conjugem adjunxerat Susannam Szivy, ex qua filiam Evam Rosnaviae sepultam, et filium Emericum, jam dum haec scribuntur, aequae fati functum, susceperat. De hoc Virgilianum illud usurpabat :

Omnis in Emerico chari stat cura parentis.

Neque Trenchinii extra teli ictum esse potuit, hinc ad Osgyanenses an. 1699 translatus, ad initium usque tumultuum Rákóczianorum frequentem admodum juventutem instituit. Fama tumultuum increbescente et juventute scholastica dissipata, Mischoviczius in Ráhó apud Rev. Andream Bubenkium delituit, donec sedata utcuque tempestate, Schemnicii Rector scholae constitueretur. Hic etsi singularem prorsus patronum fuerit nactus in Lib. B. Joh. Godofr. ab Hellenbach t. t. Hungariae Galeno : tamen vix semestri completo oblatam sibi an. 1705. a Rosnaviensibus vocationem acceptavit, ubi quam diligenter per quinquennium scholis praefuerit, cum palam sit, hac vice recognoscere opus non est. Morbo, quem epilepticum medici appellare solent, per complures dies exagitatus vitam cum morte commutavit anno voti Mischovicziani

In ChrIsto MIChael CoeLICa Castra CVpIt.

Funus ei solenne adparatum fuit, cui magnus ille heros Generalis Viardt et reliqui Officiales Rosnaviae tunc agentes interfuere. Parentabat ei litteratissimus vir Andreas Farkas, genuinus Mischoviczii discipulus, ab ipso, dum viveret, orator designatus. Reliquit praeter Donatum Rhythmos Beniczki hungaricos et comoedias, quales sunt : fata Hungariae sub Ladislao et Matthia Corvinis Leutschoviae an. 1705., Cyrus vivum divinae providentiae speculum Leutsch. an. 1708. Flores verni in calidas doloris destillati lacrymas Leutschoviae an. 1708. in IV.

*) Matthias Belius, anno aetatis suae septimo, i. e. 1690. Losonczini Michaelis Missovicz discipulus fere est occisus (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

n). Hoc ei permolestum esse advertabant omnes, quod aetate ad senium inclinante perpetua oculorum debilitate adffigebatur: quam tamen calamitatem beneficio fontanellae, uti medici loquuntur, dextrae manus adplicato levare solebat. De modestia ejus et liberalitate in egenos nihil habeo dicere. In lucris enim deputabat, si vel maxime juventuti in spem patriae efflorescenti subvenire et egenos liberalitate sua ad continuanda diligenter studia excitare potuit. Hinc nummos, quos confitentes gratum animum declaraturi pro consveto more offerebant, Mischoviczio adsignabat, inter alumnos ejus arbitrio distribuendos. Quod uti rarum est beneficium, ita meruit profecto perscribi ad posteritatem. Librariam ejus suppellectilem multis et iis quidem rarioribus libris instructam Inc. ecclesia Rosnaviensis detinuerat, Johanni Benedek Wittembergae apud Saxones studiis operanti destinata, sed dum is infelici casu praeter expectationem humanis rebus eximeretur o), partem ejus Ven. quondam Martinus Regis Rosnaviensium Minister, deposito pretio, suae adseruit utilitati: reliqua in cujus possessionem devenerit, id ego juxta cum ignarissimis scio. Vidua enim collectis vasis Cassoviam redibat, Rosnaviensibus orbitatem suam deplorantibus et piis fidelissimi antistitis sui manibus cum dolore parentantibus:

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Et tua perpetuo molliter ossa cubent.

Mortem magnorum virorum haud raro iniquioris fati nunci-

n) Erat hoc superiori seculo et sub initium hujus in more, ut Ministri in Hungaria et alibi barbas alerent, magnum, uti existimabant, auctoritatis indicium: sed dum adhuc Concilium Carthaginense IV. constituerit, ut clericus neque comam, neque barbam nutriat, bene mea sententia factum est, quod sterile hoc auctoritatis praejudicium in desvetudinem abierit.

o) Johannes Benedek alias Kőrakó appellatus egregiae spei juvenis patria Rosnaviensis Wittembergae studuit, liberalitate Dominorum Rosnaviensium adjutus. Hic dum intempesta nocte lucem accensurus egrederetur, ex superiore domus contignatione delapsus, post 20. horarum spatium vitam cum morte commutavit, Wittembergae 6. Oct. an. 1711. tumulo illatus. Hujus obitum dum praeceptores et cives hungari carminibus lugerent, Ven. quondam Doctor Georg. Fried. Schroererus, praeceptor aequae meae nunquam sine honore nominandus, ita scribebat:

Grotius, hora ruit, dixit, sic ultima vitae,
Heu subito casu, dum ruis, hora ruit.

ciam esse vetus admodum est sententia *p*). Idem Ven. quondam Sárossyus morte sua ominari videbatur. Eodem enim fati functo, praeterquam quod pestilens contagio, quae toti fere regioni incubuit, Rosnaviam tantum non exanimavit: etiam paucum post tempus publico religionis exercitio, quo olim indulgentia Augustissimorum Hungariae Regum imperturbate fruebatur, privata *q*), in eas conjecta fuit calamitates, ut ex iis, quod dedoleri non potest, adhuc eluctari non potuerit. Hoc ad laudem Rosnaviensium Evangelicorum satis est, quod malint sacris apud Berzethienses privatim defungi, quam religionem suam Evangelicam quacunque demum ratione contemere. Deus rei Evangelicae stator et arbiter indulgentissime efficiat, ne exulanti Rosnaviensium ecclesiae male sit, neque ovile in deserto Berzéth constitutum diruatur.

p) De Leontio praesule Antiocheno ejusque praedictione videri potest Nicephorus Lib. IX. Hist. Eccl. Cap. XXIV.

q) Rosnavienses libero religionis Evangelicae exercitio postremo privati fuerunt 13. Febr. an. 1711. Hinc causa cultus divini Bisztram commigrare coeperant in fundo quodam Per. Dom. Sam. Draskóczy sacris operaturi; sed obtenta a Generali Viardto et C. Joh. Pálffy Caesareo t. t., ut loquuntur, Plenipotentiaro, in privata domo Rosnaviae peragendi cultum licentia, a die 13. mensis Maji ad 13. usque Sept. in aedibus Georgii Mülleri in platea Várallyiensi sitis sacra peragebant et exturbati primum Dominica XV. Trinitatis Berzethini sacris defuncti sunt, Germani quidem in eadem aula, in qua nunc cultus sacer peragitur, tum ad Tit. Paulum Lang, dein ad Michaellem Szontagh, jam ad Franciscum Mariássy pertinente; Hungari autem in aula Michaelis Várady, quae jam ad Marcum Mariássy devoluta est. Postquam Hungari in aula Szirmaiana sacrorum causa convenire coepissent et Germani 1716. proprio Pastore destituerentur, relicta priori sede cum Hungaris coaluerunt et uno eodemque Pastore usi ad annum usque 1742. diem 1 Nov. in aula Szirmaiana sacris operabantur. Haec dum alterius juris fieret, ad aulam Francisci Mariássy, in qua soli Germani olim conveniebant, redierunt et adhuc in eadem sacris defunguntur. Ministri Rosnaviensium post adempta templa an. 1714. Rosnaviae habitaverunt, diebus dominicis et festis ad peragenda sacra Berzethinum descendentes, sed eodem anno mense Julio exturbati, amplius ad priores stationes suas redire non potuerunt, verum collocata Berzethini sede gregem sibi commissum inter mille molestias constanter docuerunt.

Samuel Antoni*)

Ut jam de Ven. Antonio *a*) perscribatur ad posteritatem, ordo descriptionis, quam exorsus sum, et praeclara ejus in rem Evangelicam merita jure quodam suo videntur postulare. Virum enim descripturus sum puritate doctrinae et integritate vitae ita insignem, ut pares, quod sciam, paucos, superiorem habuerit neminem. Pater ei contigerat nobili et veneranda dignitate conspicuus Daniel Antoni *b*) diversarum ecclesiarum Pastor, multo rerum usu exercitatissimus, mater vero Kircheny. Natus an. 1664. Samuel primis statim annis eximiam virtutis et quae non omnibus contigit, docilitatis spem facere videbatur, hoc unico infelix, quod in infantia statim molestam orbitatem profiteri fuerit coactus: hoc tamen singulari Dei providentia evenisse existimo, quod amici curam honestae educationis in se devolutam esse sentientes, utriusque parentis officium in educando Samuele certatim exequuti sunt ejusque docilitatem et raram in studia propensionem benevolentia sua confirmarunt. Joh. Schader Lib. Reg. Montanaeque civitatis Schemniciensis Praetor is erat, qui plurimum operae in educando Samuele collocavit, quod ipse dum viveret, haud raro praedicare solitus est. Is enim melioribus litteris, quarum prima aetas capax esse solet, eum erudiri curavit, nec Schemnicio dimisit prius, quam cum ad optima quaeque praeparatum, peregre etiam cum utilitate versari posse advertisset. Sed dum ad superiora studia feliciter pertractanda omni studio conniteretur, acerbiora, quam rebatur, fata experiri habuit necessum. Cum enim anno aetatis XVIII. ex sententia majorum Jaurinum proficisceretur, ad munimentum Uj-

*) Vitam Antonii vide in Indice Ordinatorum per Jacob. Zabelerum N. 59. ad an. 1696. d. 13 Junii (G a m a u f s a j á t k e z ü j e g y z e t e).

a) De claris Antoniiis, uti eruditus ignotum esse non potest, scripsit Antonius Sanderus Gandavensis, Canonicus Tornacensis, cujus Liber I. Antonios vitae sanctitate notos, II. praesules et Magnates, III. Liber litteris et eruditione praestantes complectitur. Prodiit Lovanii 1607. in IV. Haec eruditorum gratia occasione nominis Antonii monuisse sufficiant.

b) De Daniele Antoni patria Hajensi in Centuria mea Litteratorum Thurociensium, si Deus voluerit, cum litterato orbe brevi communicanda, uberior erit dicendi locus.

vár c) per Turcas, qui eo tempore ultra barbarae feritatis modum longe lateque in Hungaria tumultuabantur, captus et praeter omnem culpam suam ad molestos carceres detrusus fuit. Ubi postquam integrum anni quadrantem inter lacrymas et suspiria exegisset, singulari Dei providentia et opera quorundam heroum liberatus, in celebrioribus patriae scholis studiis diligentissime operabatur. Putavisset non nemo, mutaturum eum hac occasione sententiam, cum iudice Seneca d)

Rara sit fides, ubi jam melior fortuna ruit,
ille tamen his malis exercitus, imo duratus, a continuandis studiis non modo non dimovebatur, sed et jam novis ea auctibus amplificabat. Nam etsi periculoso illo reipublicae tempore Jaurinum pervenire non potuerit, Sempronii tamen, Posonii et Trenchinii optimos magistros ita sectatus est, ut nemo non speraret confidenter, eum cum tempore ad afflictam patriam haud vulgariter illustraturum. Magnam ille profectuum suorum in Hungaria partem Nicolao Materini e) adscribebat, nec unquam eum sine praefatione honoris nominare solitus est. Quod cum amici quoque adverterent, eum sub institutione boni viri insigniter profecisse, duo eorum, Joh. Schader, cujus jam injecta fuit mentio, et Andreas Reszler, civis Soproniensis, juri dicendo eum destinabant et lateri celeberrimi illius per Hungariam causarum patroni, Pauli Okolicsányi f) adscri-

c) Munimentum Ujvár, Slavis Nové Zámky dictum, cum Turcis longe remotis et pacato regno exigua ejus esset utilitas, providentia Augustissimi Imperatoris Caroli VI. 1725. dirutum fuit.

d) Seneca in Hercule Octaeo v. 602. p. 304.

e) Nicolaus Materini post Comitia Semproniensia an. 1682. in scholam suburbanam Trenchiniensem introductus, vir fuit omnium confessione doctus et ultra, quam reris, laboriosus. Hoc ei ab aliquibus in vitio positum fuit, quod suggestum omnibus modis declinaverit, semel multis argumentis indutus, in Natali Domini horis antelucanis pro concione dixit et non prius finem dicendi fecit, quam disceret.

f) Paulus Okolicsányi, iudicio virorum in jure patriae exercitatissimorum, maximus aetatis suae Ictus appellabatur. Vid. Joh. Jony Commentatio historico-juridica de origine et progressu juris hungarici p. 46, ubi nostrum Okolicsányi de modo in juris administratione procedendi antiquitas observato non parum laudari videas. Iste ille est Okolicsányi, cujus unicus filius ex Susanna Raksányi natus Christophorus I. Comitatus Thurociensis Vicecomes 1707. die 5. Junii in campo Sajó-Köröm ad Ónod a factionis Rákóczy-

bere gestiebant. Sed provida Dei cura factum est, ut animum sacris addiceret et accedente proluxa Trenchiniensium Evangelicorum liberalitate ad Universitatem Jenensem proficisceretur. Ibi per triennium et ultra Bechmanni, Bayeri, Schmidii, Danczii et aliorum institutione usus ita est, ut non tantum sub praesidio Valent. Veltheimii de moderandis adfectibus cum laude disputarit, sed etiam dignus fuerit aestimatus, qui ex Universitate Jenensi Trenchinium evocaretur, communi omnium sententia non minus Diaconi, quam Conrectoris provinciam obiturus g). Utramque ille stationem, susceptis Bartphae 13. Junii an. 1696. ordinibus, tanta cum dexteritate tuitus est, ut omnium adprobationem meruerit, uti id ipsum unus ex multis illius temporis discipulis, I. Regiae Tabulae Baro Martinus Szelezcky scriptis ad Superintendentem Antonium litteris prolixè confirmavit eique praeter omnem expectationem gratum animum ingenue testatus est. Sed quo majori cum diligentia faciebat officium, eo minus diuturna ei fuit apud Trenchinienses mansio, etsi ita omnibus charus fuerit et acceptus, ut vix quisquam unus uni carior foret, quam unus hic universis. Cum enim omnia sua praeclare egisset et virtus doctrinae conjuncta in dies augeretur magis, ita illis, qui religione ab eo dissidebant, exosus factus est, ut voluntati eorum cedere et per aliquod tempus apud D. Mar-

anae primoribus crudeliter concisus et quinto post die capite plexus est. De his plura addi potuissent crudelem hunc casum haud vulgariter illustratura, nisi in mentem venisset recordari illius, quod Papinius Statius Lib. V. Silv. Car. 2. gravissime monuit :

Nos certe taceamus et obruta multa

Nocte tegi propriae patiamur crimina gentis.

g) Erat hoc familiare Trenchiniensibus, dum res eorum adhuc integra esset, ex Universitatibus evocare viros alterutri coetui inservituros, quod confirmari potest, ut reliquos taceam, Cl. quondam viri Jeremiae Sartorii Arvensis exemplo, qui profusa liberalitate Illustrissimae gentis Forgácsianae sustentatus Wittembergae studuit et anno adhuc 1586. ad regendam scholam Trenchiniensem evocatus fuit. Hunc dum consveto more votis comitarentur amici, unus commilitonum ejus, Nicolaus Baticzius Arvensis, postquam erudito carmine prolixam Inclytæ domus Forgacsianae liberalitatem ultro praedicasset, ut carmina propemptica, eidem Sartorio data, testantur, ita loquutus est :

Tu jam faustus abi, claram formesque juventam,
Qua Trenchina celer praeterit arva Vagus.

tinum Rászga *) sui amantissimum in privato versari filiumque ejus informare fuerit coactus. Verum non diu latuit Antonius, a primis fere adolescentiae suae annis ad summa quaeque tacite praeparatus. Prius enim, quam putarat ipse, per Ill. Liberum Baronem Matthiam Ostrosith ^{h)} de Ghiletincz, praeclarum rei Evangelicae adsertorem, ad arcem Liptó-Ujvár, Slavis Hrádek dictam, vocatus est, Ministri aulici officia administraturus. Dicitur non potest, quanta cum utilitate ibidem fuerit versatus, cum genti ad omnem pietatem compositae talis obtigerit Minister, qui toto vitae suae tempore nihil antiquius habebat pietate. Vix triennium in hac statione exegerat, dum Hybbis, in loco Articulari, puriori coetui Evangelico praeficeretur, ubi sacro matrimonii foedere conjunxit sibi virginem nobilitate generis insignem, Juliannam, patris Perill. quondam Francisci Kiszel de Benedekfalva, matris vero gloria majorum inclutae Magdalenae Bán de Nádasfalva filiam natu majorem, procurandae cum utilitate rei familiari multo aptissimam. Hoc in partem doloris saepe numero interpretari solebat Antonius, quod etsi singulari Dei benevolentia duarum filiarum, Barbarae et Juliannae, et totidem filiorum, Michaelis et Petri, pater fuerit nominatus: tamen praeter Petrum Csetnekini natum et adhuc ibi agentem, nemo superfuerit amplius. Non poterant Hybbenses ministerio Antonii diutius perfrui, cum an. 1700. Bottfalvam vocatus atque exacto ibidem brevi tempore, Vág-Ujhelyini Pastor constitutus fuisset. Quam praeclare ibi officium suum administraverit, vel hinc pronum est arbitrari, quod communi Rev. Fratrum sententia non tantum Ven. Contubernii Berenchiano-Cseytensis Conseniorum egerit: sed etiam in Synodo illa Rosenbergenſi Consistorii inferiorum partium Cis-Danubianarum Notarius fuerit designatus ⁱ⁾. Verum cum res Evangelicorum Nitriensium inter continuos patriae tumultus incli-

*) A szélen irónnal: Rászga Birótz.

h) Matthias Osztrosith L. Baro non absque multorum dolore an. 1703. sine haerede mortuus est. In matrimonio habuit Catharinam Sidoniam Révay eo nomine ad omnem posteritatem memorabilem, quod anno 1682. proluxa liberalitate sua omnes sumtus in slavonicam biblicorum impressionem contulerit, nisi pias destinationes ejus continua bella et afflictus Evangelicorum status antevertisset.

i) Videantur Acta Synodi Rosenbergenſis an. 1707. celebratae.

nare viderentur, stationem Vág-Ujhelyiensem cum Nagy Palugyensi commutavit, atque hinc iterum an. 1708. propitia fortuna Csetnekinum delatus est, ubi singulari Dei providentia nova honoris accessio eum ipsum opperiebatur. Fatis enim functo M. Joh. Sárossy Superintendente, Antonium eidem fata destinabant {successorem, cum nulli ignotum esse potuerit, quam praeclare ubique locorum attributas sibi officii partes administraverit. Vix contumulatus fuit Sárossyus, Gömörienses collato cum iis, quorum intererat, negotio, quatuor delegerunt viros k), ut qui eorum colligendis suffragiis superaverit reliquos, officio Superintendentis communi consensu defungatur. Locus conficiendo huic negotio, ex praescripto Spect. quondam Domini Nicolai Szirmai, Consistorii Cis-Tibiscani Praesidis, Cibinii destinatus erat, quem etsi Gömörienses et Kis-Hontenses, inter tot et tantos patriae tumultus, modeste deprecari videbantur; tanto tamen destinationibus illis accesserunt lubentius, quanto magis necessarium existimabant, ut sine ulteriori remora constituatur Superattendens ecclesiis Cis-Tibiscanis invigilaturus. Coitur ergo Cibinii et collatis solito more suffragiis, Samuel Antoni eligitur Superintendens in ecclesia Kőviniensi 24. Sept. an. 1709. in magna virorum frequentia per Ven. Andream Sextium l) solenni

k) Inter Candidatos praeter Antonium numerabantur: Andreas Sextius Alnoviensium Pastor, et Ven. Contubernii Gömöriensis Senior, Martinus Pelsőczy Rosnaviensium Hung. Minister et Georg. Paulini, qui an. 1654. Bisztrensius, dein Kőviniensium, postremo Taxoviensium Pastor fuit ibidemque an. 1711. aetate gravis obiit, ex cujus posteritate mascula nullus, quod sciam superest amplius.

l) Andreas Sextius natus fuit in Nagy-Szlabos an. 1653. patre provido viro Sextio alias Sesták dicto, matre Agneta Teslir. Studuit in patria et Rosnaviae atque demum ex sententia patris sui, Joh. Sextii Carponensium Ministri ad latus ejus institutione M. Georgii Lani usus est. Ingruente circa an. 1673. persecutione, cum Ven. patruo suo aliisque exulibus peregre profectus Brigae substitit et post annum Vratislaviam commigravit et in Collegio Magdaleneo per annos quatuor M. Joh. Fechnero, Christ. Pomario, aliis ita industriam suam adprobavit, ut cum proluxa commendatione in patriam fuerit dimissus. An. 1677. ipsa die Gregorii patriae restitutus Debrecinum concesserat, sed propter infestas sibi febres domum redire scholae Nagy Szlabosensi ita praefuit, ut post quinquennium ecclesiae Mokrolucensi praeficeretur et exactis ibi annis tribus oppidanae ecclesiae Rőczensi datus fuerit Minister. Ibi anno aetatis 33. sociavit sibi virginem commendatissimam Sussannam, Ven. Georgii Petroviczii filiam, cum qua rara admodum concordia

ritu confirmatus. Quam invitus hanc susceperit provinciam, non est opus scrupulosius recognoscere. Verum tantum abest, ut aliqua in parte officio defuerit, ut potius exequutus sit diligentissime, quidquid ad rem suam pertinere arbitrabatur. In docendo populo ita fuit industrius, ut doleret ex animo, si quando publicorum negotiorum causa quiescere habuerit necessum et in tradendis misteriis divinis ita felix, ut quod alii magno conatu, obscurius, hic facili opera plane admodum et cum magno audientium emolumento explicaret. Quod provinciam Superintendentis adtinet, ita eam per annos fere triginta administrabat, ut nihil neglexerit unquam, quod ex aequo ad officium suum pertinere existimabat. Praeterquam enim quod viros propemodum centum sacris initiavit ordinibus; etiam ecclesias suae directioni commissas, diligentissime visitabat; dum id pro sua prudentia et ex usu et utilitate earum esse advertisset. Certe ecclesiis Kis-Hontensibus tanto minus defuit, quanto

annis 26. vivendo, felici traduce duos filios et quatuor filias generavit. Maximus natu filius Joh. Sextius confirmatus in Ill. Pomeranorum Universitate studiis 1712, vivente adhuc Rev. patre, ecclesiae Nagy-Szlabosensis Minister constitutus, an. 1719. ad Cremnicienses transivit, ibidem vir multorum meritorum non sine dolore omnium an. 1748. finem vivendi fecit. Minor natu filius Andreas, qui Alnoviae sedem fortunarum collocaverat, ut praerogativae nobilitari locus sit, civilem egit vitam et in optimo aetatis flore mortuus est. Quod filias adtinet, unica earum, Sabina, superest Summe Rev. Andreae Fabritii Senioris nostri conjux dilectissima, eidem, dum Rectorem Alnoviae ageret, elocata. Ex ecclesia Rőczensi causa religionis Evangelicae exturbatus, statim Olahpatakiensis factus fuit Minister, ubi an. fere XVIII. magno cum fructu docuit et an. 1705. ad ecclesiam Nagy Szlabosensem vocatus venit, atque post tres anni quadrantibus arbitrio totius Ven. Contubernii stationem hanc cum Alnoviensi commutavit, ubi annos 5. inter continuos belli tumultus cum dilecto genero ac collega suo Andr. Fabritio creditum sibi officium cum magna dexteritate administravit. Hinc an. 1711. cum maxime saeviret hyems mandato imperatorio remotus in exilio delituit, satis in eo habiturus, si privatim sacris ibidem operari potuerit, sed 1712. sublato prorsus omni religionis exercitio ipse Alnovia excedere coactus est. Hinc in patriam suam redux Rev. filio adhaesit et quacunquē demum ratione potuit, comoda rei Evangelicae studiosissime procuravit, olim etiam Oratoris, Notarii, Consenioris et Senioris officio magna omnium adprobatione defunctus. Tres Superintendentes, eorum candidationem ingressus, confirmavit et tandem anno aetatis 60. Ministerii 31. inter preces et suspiria 3. Febr. vitam cum morte commutavit et septima ejusdem in templo Nagy Szlabosensi sub ipsis gradibus altaris sepultus est, anno voti: In paCe reqVlesCat.sVb DoMlno.

magis Inc. Patronatus ex consensu Ven. Contubernii operam ejus flagitare videbatur, et quicquid lapsu temporis in deterius inclinare animadversum fuit, non minus tempestive quam prudenter instaurabat *m*), quod an. 1721. mense Octobri in ecclesia Arnothensi et Szirma-Bessenensi *n*) pari utilitate exequutus est. In Ven. Contubernio nostro Gömöriensi nullam solennem instituit ecclesiarum visitationem, sed si quid inordinati in hac vel alia occorrebat ecclesia, aut privatim et absque strepitu corrigebat, aut occasione conventus publici communi Rev. Fratrum sententia decernebat, quicquid ex praescripto legum fuerat definiendum. Erant quidem pauci, qui Ven. quondam Antonio nimiam adtribuerent lenitatem *o*)

m) In visitatione ecclesiarum Kis-Hontensium, qua an. 1712. defunctus fuit, adsciverat sibi Antonius noster Ven. Jonam Bartholomaeidem Klenoczensium Pastorem et Ven. Contubernii Seniore, nec non Paulum Jacobi Skalnoczensium Ministrum et Rev. Fratrum Vice-Notarium, viros ad res gerendas multo aptissimos.

n) Ut sciant posteri, ecclesiae Szirma-Bessenensis haec fuerunt fata. Olim usa fuit ministerio Pastoris Arnothensis Josephi Király, sed postquam Joh. Petics ex ecclesia Radacsensi exturbatus fuisset, Margaretha Butkay Ill. Com. Thomae Szirmay pia mater ad vota Peticsii hoc apud filiam impetravit, ut Szirma-Bessenensibus peculiarem Ministrum Evangelicum indulgeret, et Peticium inducendum commendaret, qui circiter 8. annos in eadem ecclesia exegit et an. 1726. mortuus est. Huic successit Steph. Jeszenszky in aula Jakabfalvensi Concionator, qui tamen vix annum cum dimidio exegerat, propter vitam minus sobrie actam statione illa excidit et an. 1728. Michaellem Greczmacherum Rosnaviensem successorem nactus est. Hic quamvis multis spem fecerat, se rem ecclesiae procuraturum ita, ut haud vulgaris ex ministerio ejus redundet utilitas, tamen vilissimae cujusdam feminae Kelecsinensis insanis amoribus dementatus, postquam cum eadem profugere vellet, opera mariti captus et Judici Miskolcziensi traditus ad 500 fl. fidejussionem liberatus fuit, sed paucum post tempus derelicta malitiose ecclesia, cum pessima illa femina an. 1731. profugit, postquam in Ecclesia Szirma-Bessenensi annos duos et quod excurrit exegisset. Ecclesia ordinario Ministro destituta Pastoris Arnothensis, Rev. Joh. Berács ministerio fere per triennium usa fuit, usquedum Ill. C. Thomas Szirmay medio Provisoris sui Josephi Juliani 26. Nov. 1733. exercitium hoc in solidum interdiceret. Ex eo tempore rem sacram hic Mimoritae Miskolczenses facere solent. Dolent hoc Szirma-Bessenenses, quoties in mentem reminisci venit, quod

Unius est multis poena luenda viri.

o) Sunt apud me litterae per Ill. Patronatum Gömöriensem Rosnavia 18. Jan. an. 1716. ad Superintendentem Antonium perscriptae, in quibus non tantum Ministerio ejus directioni commisso, sed ipsi quoque Superintendenti

sed quod ego experiendo didici, moderatio, haud vulgare in Theologo decus, dicenda erat, quod illi lenitatem fuisse opinabantur. Nam etsi a natura ad omnem modestiam compositus erat: tamen ubi necessum existimabat, nec ordini sacro indulsit, quin eos, qui ad legem vivere detrectabant, et tempestive castigaret et severe. Hoc tanto adsevero confidentius, quanto magis ego magno hoc viro per annos 8. et quod excurrit, familiarius usus fui. Novi certe temperantiam et moderationem ejus, uti Cicero de Lentulo suo affirmabat. Tantum ergo abest, ut ei immoderatam quandam lenitatem jure attribui posse credam, ut potius cum ratione adfirmem, eum nihil unquam facile admisisse, quod non cum aequitate legum et moderatione potuisset comparari. Noverat enim, quod sapienter in Oratore suo scribit Cicero, etsi suus cuique modus sit, tamen magis offendit nimium quam parum. Hinc fiebat, ut in decidendis casibus et promptus esset et accuratus, in dandis autem salutaribus consiliis ita felix, ut nullum, quod sciam, poenituerit unquam, qui eodem consultore fuerat usus. De sanctimonia vitae nihil habeo dicere, cum Paulini, Nolae in Campania episcopi, pietatem ac mores sic retulerit, ut si Pythagoricus de animarum migratione error locum habere posset, Antonii aliquando animam in Paulino fuisse opinarer. Ita enim pietatem sibi habuit commendatam, ut exemplum inculpatae vitae reliquerit omnibus Verbi divini Ministris studiosissime imitandum. Profecto quod olim Lutherus de M. Nicolao Hausmanno Superintendente Freybergensi memoriae prodidit, idem de Antonio dici potest,

Quod nos docuimus, ille vixit p).

Nam perpetuo non minus exemplo, quam verbis ostendebat, quid curae et inspectioni suae commendatos facere velit, cum ex sententia Augustini efficacius esse vitae, quam linguae testimonium didicerit. Hinc iudicio meo derivari debet, quod omnes fortunae casus et prudenter pertulerit et moderate. Sive enim blandiebatur ei fortuna, sive tonabat

plurima adtribuit. His ille optime sibi conscius ita movebatur, ut eodem anno 22. Oct. peculiari scripto, quod mihi ad manus est, officium Superintendentis in sinum Ven. Contubernii deposuerit, nec eo, nisi multis precibus inductus, amplius defungi voluerit.

p) Vid. Lutheri Colloquia Mensalia Cap. XLII. p. 531. et Seckendorf in Historia Lutheranismi Lib. 1. Sect. XLV. §. 110. fol. 178.

Animus ei fuit
Rerum prudens et secundis
Temporibus, dubiisque rectus *q)*

Ejus uti semper alias, ita imprimis contagionis tempore, quae an. 1710. in his partibus saeviebat, luculentissimum exhibuit documentum, ut taceam, forti eum et toties ad ferendas injurias parato fuisse animo, quoties religionis causa fuerit dimicandum. Inanem fastum et quae eo deterior est, avaritiam tanta animi contentione detestabatur, ut merito appellari potuerit

Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae *r)*

et ut me in tanta rerum varietate brevibus expediam, nulla fuit, quod sciam, virtus, quam non sibi domesticam fecerit et reddiderit longe familiarissimam. Ut enim mutato nomine cum Cel. quondam Doctore Wernsdorffio, praeceptore meo nunquam sine praefatione honoris nominando loquar, inerat Antonio Miri constantia, Lyseri venustas, Hoei auctoritas, Velleri facundia, Geieri sanctimonia, Lucii modestia et humanitas *s)*, ut in eodem divini numinis gratia, quantum indulgendo valeret, videretur experta. Verum quod Fami-anus Strada cum ratione existimavit, nihil ita esse firmum, cui non immineat periculum etiam ab invalido; idem Antonius necessum habebat experiri. Etsi enim morbus, quo tentari coepit, ex sententia medicorum non adeo videretur periculosus: sentiebat tamen Antonius legem fatali mortalium sorti a natura impositam sibi imminere et nihil superesse amplius, quam ut consummato cursu, aetate et meritis gravis vitam ingrediatur nullo unquam tempore finiendam. Hoc ei in partem laudis perpetuo duraturae scribi debet, quod cum morbus in dies invalesceret magis, tantum abest, ut a ministerio et laboribus se abstinuerit, ut etiam in medio cursu dolorum Cl. viro Paulo Major *t)* ad dirigendam ecclesiam Evangelicam

q) Horatius Carm. Lib. IV. Oda IX. 35.

r) Idem ibidem.

s) Videri potest Oratio Wernsdorffii in honorem Sam. Bened. Carpzovii, dicta Wittembergae an. 1707.

t) Paulus Major, coetus Evangelici Rosnaviensis in Berzéthe exulantis Minister multo fidelissimus, natus fuit Cremnicii in Montanis 22. Febr. an. 1711.. patre Ven. viro Joh. Major Illaviense t. t. Cremniciensium Slavorum

Berzethinum legitime vocato sacros conferre ordines et ultimo huic imponere manus perhonorificum esse existimaret. Omnes demum

Ministro et scholae Rectore, matre autem nobili Rosina Wozár Boczabanyense. Prima litterarum elementa addidit Lovinobányae institutione aviae suae Judithae Sartorius usus. Post haec sexennis Cremnicium delatus Andr. Némethium, Joh. Christiani et Joh. Hluoska praeceptorum nomine coluit et nihil neglexit eorum, quae ad percolendam linguam germanicam videbantur pertinere. Post quadriennium Cremnicii feliciter exactum ad Ven. patrem, qui ecclesiae Köviniensi praeerat, reductus, eodem anno molestam orbitatem profiteri habuit necessum, quam tamen eo tolerabat fortius, quo exstantiora divinae providentiae argumenta experiebatur. Delatus enim Osgyaninum non solum litteratissimi praeceptoris Georgii Farkas jam in Domino quiescentis diligentiam, sed etiam Ven. Oertelii tum Osgyanensium Ministri paternum prorsus affectum expertus est. Praeterquam enim quod eum mensae suae liberaliter admovit, etiam qua fieri poterat privata institutione percoluit, quod ille cum proluxa grati animi testificatione haud raro praedicare solet, ne quid de benevolentia Ven. quondam Pauli Felicides Pilensium Ministri, Majori nostro subinde praestita adjiciam. Osgyanino ad Neosolienses comaeavit et Valent. Klingschnur, Steph. Aegidium et Cl. Fridericum Karpe praeceptores veneratus est. Hinc ex sententia majorum Cremnicium rediit et Cl. Georgio Sartoris praeceptore usus est. Exacto demum biennio jussu Ven. Thomae Kmethonii Köviniensium Ministri longe fidelissimi, qui matrem ejus dilectam in conjugem adsciverat, Cremnicio revocatus ad Eperjesienses transibat et Georg. Innatium Rectorem audiebat. Innatio ad munus Pastoris apud Septem Tilienses obeundum promotus Csetnekinum venit et sui amatissimum Cl. Dan. Sartorium non minus hic, quam apud Eperjesienses ducem sectatus est. Postquam Sartorius noster stationem scholasticam cum Ministri provincia ibi apud Slavos obeunda commutasset, Cl. Joh. Longai viro docto constanter adhaesit atque demum consilio et ope Ven. Kmethonii vitrici sui, quem patris instar multum suspexit, Witttembergam 1733. adiit et ibi ita versatus est, ut indultu patrum Academiae et consensu popularium cura bibliothecae hungaricae eidem fuerit demandata. Confecto demum feliciter tempore, quod vitae academicae destinatum erat, ipsis feriis Elisabethae in patriam rediit 1737. et anno statim sequente Berzethinum exulanti Rosnaviensium coetui Germanico non minus quam Hungarico atque Slavonico inserviturus obtenta legitima vocatione, die 5. Junii ordinatus est. Quam proluxa cum utilitate numero huic coetui et Ven. Contubernii diversis officiis admotus inserviat, nihil habeo dicere. Ita enim litterato orbi Hungariae notum est, ut actum agere viderer, si in rem omnibus notam argumenta cumularem. Deus Majori meo indulgentissime bene velit et eum cum coetu, cui praeest, propitius tueatur. An. 1755. feriis Catharinac Csetnekium transivit et ibidem anno 1758. feriis Galli mortuus est. (A z u t o l s ó p o n t, u g y l á t s z i k, m á s v a l a k i n e k t o l d a l é k a).

cogitationes suas eo convertit, ut se ad beate moriendum compararet, quod tanto exequutus est promptius, quanto certior erat, se molestias cum quiete et vitam mortalitati noxiam cum aeterna salute commutaturum. Dies erat 18. mensis Augusti an. 1738., quo superatis raro patientiae exemplo diuturnis doloribus, postquam an-XXX. Csetnekini exegisset, non sine magna rei Evangelicae jactura vitam cum morte commutavit et completis LXXIV. vitae annis magnum sui apud gratam, si quae speranda est, posteritatem desiderium excitavit, sacrarum legum vindex acerrimus, meliorum litterarum decus et aequitatis fidelissimus interpres ac dispensator multo felicissimus Antonius.

I nunc ambitio, turres ad sydera tolle

Maxima cum videas nomina posse mori.

Funus magno huic viro 7. Sept. in maxima utriusque ordinis hominum frequentia apparatus fuit, cui praeter potiorem I. Nobilitatis florem et Ven. Ministerium Evangelicum intererat Sum. Rev. Samuel Szentgyörgyi, Rima-Szombathiensium Pastor et Reformatorem Superintendens, auctoritate et eruditione, dum viveret, apud suos longe clarissimus, ne quid de populo adjiciam, qui praeclaris Antonii meritis excitus sua sponte ad conhonestandum funus concursabat. Ad celebritatem funeris tanto viro dignam nihil deesse videbatur. Praeterquam enim quod Ven. Andreas Wietoris u), Kun-Taploczensium Minister, in area paroeciae ex

u) Andreas Wietoris patre Rev. condam Matthia Wietoris Szent Iva-nensi, matre Susanna Machner in I. Comitatu Gömöriensi an. 1704. natus, optimorum parentum voluntate a primis statim annis Deo et studiis propitia fortuna dedicatus fuit. Nam etsi multum adhuc puer Ven. patre, Kobellarensium Ministro fidelissimo, orbatus fuerit, tantum tamen abest, ut studia deseruerit, ut potius majori cum diligentia ea prosequi animum induxerit, in unica fere Csetnekiensium schola ad omne decus institutus. Si enim excipias annos duos, quibus Kövini institutione Cl. viri Sam. Sartorii usus est, totam fere juvenilem aetatem suam studiis Csetnekiensibus impendit, ibidemque magna animi contentione And. Fabriczium, jam emeritum Ven. Contubernii nostri Seniore, Paulum Áldásy, nunc Osgyanensium Pastorem, Joh. Fabriczium et Petr. Paulum Lendvay in Domino quiescentes praeceptores sectatus est. Postremo huic plurimum se debere lubens et ultro confitetur. Anno aetatis vicesimo ad Ministerium in ecclesia Kun Taploczensi hungarice obeundum pertractus, susceptis an. 1724. 4. Sept. ordinibus, tanta cum dexteritate attributas sibi partes exequutus est, ut haud paucae ecclesiae ministe-

Num. XXIII. v. 10. Hungarice magna, uti solet, cum utilitate auditorii pro concione loquutus est, etiam mihi arbitrio superiorum commissum erat, ut quod Antonii merita et nostra omnium pietas postulare videbantur, sermone sacro slayonico exequerer. Hoc ego pro tenuitate mea ex Eccl. XLVI. 18. 19. 20. 23. 24. tanto praestiti lubentius, quanto me magis Antonio obstrictum esse sentiebam. Non exiguum decus tristiori illi occasioni addidit oratio latina, studio Cl. viri Jacobi Tubelii tum Rectoris scholae Csetnekiensis, de quo imposterum erit dicendi locus, elaborata, quam Jac. Lani v), melioribus studiis ibidem operatus, finito sermone hungarico recitabat. Absolutis omnibus, quae ingenua imperabat pietas, corpus exangve sacrario illatum et tumulo impositum fuit, gratissimum episcopi animarum nostrarum adventum in pace expectaturum. Haec de vita Antonii scripsisse sufficiat, si quod Joviani Cancellarii tumulo adscriptum fuit, omnibus haec lecturis ad animum revocavero :

Noli, obsecro, injuriam mortuo facere,
Vivens cum fecerit nemini.

rium ejus desiderarunt. Vir enim Contubernio nostro multo utilissimus, qui dum haec scribuntur, emerito Seniori Fabriczio quoque suffectus est. Hoc ei inter reliqua ad laudem scribi debet, quod ab ejus posteris ejus sunt nobilitatis initia. Deus virum mei amantissimum in ulteriora rei Evangelicae comoda salvum esse velit et nihil non felix fortunatumque largiatur.

v) Jacobus Lani apud Kesmarkienses natus patre Ven. quondam viro, Daniele Lani, primum apud Berzethienses, dein ab an. 1716. apud Kesmarkienses V. D. Ministro, non sine multorum dolore an. 1729. beate in Domino mortuo, matre autem nobili Rosina Eleonora Krain. Hic unus ex quatuor, qui supersunt, fratribus ordini ecclesiastico destinatus, imprimis Kesmarkini et apud Csetnekienses studiis operabatur, ibi Cl. Georg. Buchholtzio 3. Aug. 1737. prope mortuo, hic vero Cl. Tubelio, adhuc Dei munere superstite, praeceptore usus est. Confirmatis Wittembergae studiis primum Kesmarkini collegae, dein apud Csetnekienses ab an. 1745. Rectoris stationem ita tuetur, ut labores ejus commodo scholarum destinati cum emolumento ingenuae juventutis conjuncti videantur.

Membrum II

de

Superintendentibus Lib. Regiarumque Civitatum.

M. Joh. Schwartzius.

Facili admodum negotio complures Schwartzios ad posteritatem consignarem, qui in patria nostra res non minus sacras quam civiles magna cum laude illustrarunt, nisi praecipua Superintendentis nostri, cujus causa haec scribuntur, habenda mihi foret ratio. Quis enim rerum patriae ita ignarus est, cui M. Johannes Schwartzius Bartphensis et Leutschoviensis scholae Rector *a)* et Andreas Schwartzius Isaacensis Scepusius *b)* ignotus esse queat, ne quid de Johanne Godofredo Schwartzio *c)* adhuc divino munere superstite

a) M. Joh. Schwartzius, patria Wittembergensis, in Hungariam delatus fit apud Bartphenses scholae Rector, ubi Logicam conscripsit Bartphae impressam, in qua magni unius viri iudicio nihil legas, quod ex quavis discere non possis. Hinc an. 1672. Leutschoviam accitus et M. Jacobo Roesero, primum in Collegio Eperjesiensi oratoriae et Historiarum professori P., dein Gymnasii Leutschoviensis Rectori, post biennium Quedlinburgum in Pastorem evocato, successor datus est, eo nomine infelix, quod invalescente persecutione a statione exturbatus loco cedere jussus fuit. Hujus viri scriptum talem titulum habet: Q. D. B. V. Disputatio Pneumatica de notitia Dei naturali, quam in Academia patria pro loco in amplissima facultate philosophica, benevole qui eidem assignatus est, publicae eruditorum censurae submittit M. Joh. Schwartzius Wittemberg. Lycaei Bartphensis superioris Hungariae vocatus Rector, respondente M. Joh. Friederico Schulzio Jüterbocensi Saxone, 31. Dec. 1668. Wittembergae in officina Finicliana exscribebat Michael Meyer in 4.

b) Andreas Schwartz confirmatis Thorunii studiis Georgimonti per triennium scholae praefuit, dein an. 1649. S. Ministerio applicatus, Felkae, Michaelisvillae et alibi magno cum fructu laboravit et Ven. Contubernii superioris fluvii Poprad Oratorem egit.

c) Joh. Godofr. Schwartzius Igloviensis Scepusius, postquam in diversis patriae scholis cum laude didicisset, Jenam delatus studia amplificavit et collocato ibidem optime tempore, patriae restitutus Gymnasii Leutschovien-

et rei litterariae hungaricae ut quamplurimums tudioso adjiciam. Sed cum ab ordine, quem sequor, declinare neque pulchrum esset, neque tutum satis, de Ven. Superintendente nostro ut quamplurimum commentabor. Natales hic suos debuit Liberae Regiaeque Civitati Eperjensi *d*), clarissimo olim meliorum litterarum domicilio, quod et aluit et dedit viros omni mea praedicatione superiores. Huc inter plurimos M. Joh. Bayerum et Matthiam Zimmermannum retuleris *e*). In hac urbe Schvartzius uti parentibus multo honestissimis natus fuit: ita in scholis patriis a pueritia ad omnem honestatem educatus, hoc ingenita sibi discendi cupiditate meruit, ut florente sub Pomario illustri Statuum Evangelicorum Collegio, benevolentia amplissimi magistratus Eperjesiensis ad Universitatem Tubingensem mitteretur, ubi confirmatis cum laude studiis, circa an. 1673. rediit, gratum animum pro collatis sibi beneficiis amplissimo magistratui testaturus et res patriae suae, nisi fata minus propitia obstitissent, magna animi contentione illustraturus. Verum alias evenit, ac opinabatur Schvartzius, rerum patriae multo studiosissimus. Dum enim exercitium religionis Evangelicae tot tantisque Augustissimorum Hungariae Regum diplomatibus et publicis regni legibus constabilitum *f*) per universam Hungariam ultra modum misere turbari videret, ad externos redire animum induxit et in Universitatibus Tubingensi, Argentoratensi et Wittembergensi non

sis primum Conrector, dein Rector constitutus, non sine proluxa nominis sui commendatione officio defunctus fuit. Tandem ulteriorem fortunae campum quaesiturus in Germaniam concessit et provida Dei cura Gymnasii Osnaburgensis Rector factus rem historico-litterariam hungaricam cum laude illustravit et adhuc egregie illustrare pergit, cui fortunam ultro propitiam ex animo comprecamur.

d) Eperjesinum ab hungarico Epör, quod fragum significat, dictum esse volunt, siquidem in loco fragorum ferace a primis illis conditoribus urbs exaedificata fuit. Hinc latine a multis Fragoria seu Fragopolis appellatur et M. Daniel Kleschius graece eam Comaropolin nominabat. Vid. ejus carmen nuptiale Dom. Stephano Hallegantz et Susannae Szontagh an. 1669. dedicatum.

e) Vitam Bayeri et Zimmermanni descripsit Czuittingerus in Specimine Hungariae Litteratae, ubi non parum erravit bonus Czuittingerus, cum in vita Bayeri Isaacum Zabanium Transilvanum fuisse existimavit, cum, uti in superioribus adnotatum est, fuerit Brodsano-Hungarus, patre Rev. Johanne Zabanio ibidem natus.

f) Vid. Extractum Articulorum in negotio religionis, qui uti dudum jam, ita recentissime quoque sine loci notatione et temporis in IV. impressus est.

sine celebritate nominis versatus est, usquedum an. 1681. restau-
rato post comitia Semproniensia Collegio Eperjesiensi *g)* ad profes-
sionem poescos et eloquentiae ab iis, qui in partem curarum venie-
bant, vocaretur. Hic ita commissas sibi partes obibat, ut proce-
dente tempore philosophiae, et postremo theologiae professor fue-
rit constitutus. Sed dum destinationes ejus publicis motibus et no-
va rerum patriae revolutione turbarentur *h)*, in exilio vivere coactus
est, usquedum restituto Eperjesiensibus religionis exercitio ad fun-
ctionem ecclesiasticam vocaretur, 20. Maji an- 1705. ministerio
Superintendentis Zabeleri sacris ordinibus initiatus. Quam strenuum
in administranda hac provincia se praestiterit, vel hinc pronum est
existimare, quod vix sex abierint anni, dum mortuo Zabelero Lib.
Reg. Civitatum et vicinorum Comitatum Superintendentens constitue-
retur. In eo loco constitutus ita officium administrabat, ut et sibi
conciliaret laudem perpetuo duraturam, et exspectationi omnium
bonorum ex aequo responderet. Praeterquam enim quod profunde
fuerit eruditus: etiam longo rerum usu in dirigendis cum auctori-
tate ecclesiis ita erat exercitatus, ut tempestivae ejus severitatis ad-
huc non pauci recordentur, si paterna castigatio nomine severitatis
debeat appellari. Nam dum integra ei foret aetas, et blande con-
nivebat, ubi erat opportunum, et si res ita postulare videbatur, casti-
gabat. Hoc ei, dum viveret, inter multa reliqua peracerbum erat,
quod talibus quoque sacros contulerit ordines, qui, dum adstrictam
vivendi rationem sequi nollent, abnegata fide Evangelica, aliena
potius sacra fuerunt secuti *i)*. Sub finem vitae miser erat et in tristi

g) Invalescente persecutione non tantum Pomarius, sed etiam collegae
ejus Isaacus Zabanius, Elias Ladiver et reliqui loco cedere jussi tristem
collegii faciem ad an. usque 1681. e longinquo intueri habuerunt necessum.
Quod etsi eo tempore nostris fuerit restitutum, brevi tamen iterum cum om-
nibus stipendiis huc pertinentibus ademptum fuit, libero religionis exercitio
ultra moenia civitatis exturbato.

h) Non est operae pretium prolixè percensere, quam iniquis modis Hun-
garia eo tempore fuerit divexata, dum non tantum juratus nominis christiani
hostis, Turca, an. 1683. Viennam oppugnavit: sed etiam Emericus Thökelyi,
hac opportunitate usus, licentiose per Hungariam fuerit grassatus, non sine
magna, quod eventus probavit, innocentium Evangelicorum divexatione.

i) Tales erant: Joh. Benedik Minister Lófalvensis, cui primum manus
imposuerat Schvartzius, Joh. Kegyér Pastor Kőszegiensis et Lemessanensis
jam, ut loquuntur, Licentiatús Vidernikiensis, et Mart. Dévai Minister
Cassoviensis,

senectute ultra, quam reris, afflictus. Nam raro admodum litteratorum exemplo annos LXXXVII. natus eam attigerat aetatem, cui universa mala super mala cohabitant *k*). Et quamvis apud plerosque ex sententia Virgilio *l*)

nec tarda senectus

debilitat vires animi mutatque vigorem,

Schvartzius tamen necessum habuit experiri, quod Seneca in Oedipo omnium sententia prudenter adnotavit :

Prima langvescit senum

Memoria, longo lassa sublabens situ

Hinc fiebat, ut postremis vitae temporibus officio pro dignitate operari non potuerit, sed vicaria opera Cl. Davidis Frühauf *m*) usus, locum tueretur. De conjugio, quod eidem ex voto non contigerat, et reliquis molestiis, quae viros eruditos exercere solent, scrupulosius recognoscere opus non est. Suffecerit Ven. Superintendenti nostro, quod commissam sibi provinciam inter tot tantosque insultus fidelissime administravit et omnes fortunae casus forti admodum patientique animo exceperit. Aetatis satur, postquam in officio publico multis annis laboravisset et provinciam Superintendentis annis fere XVIII. administrasset, omnes suas cogitationes ad beatam illam aeternitatem componebat et omnium miseriarum finem in morte expectabat, cum se moriturum et olim sciret et tristis senectus sequuturam mortem haud dubie

k) Sophocles in Oedipo vers. 1230. uti notat Stockius in Reali Lexico Homil. p. 43.

l) Virgil. Lib. IX. Aeneid.

m) David Frühauf Leutschoviensis, patre Georgio Frühauf Coburgo-Franco, matre Anna Guschakiana natus, postquam in patria sub Seniore Martino Dubovskio, et Wratislaviae sub Crantio studisset eademque studia in academia Wittembergensi confirmasset, redux Ven. Superintendentem Schvartzium in habendis ad populum sermonibus per biennium adjuvabat et cum id facere a PP. J. prohiberetur, Topscham ad obeundum ministerium an. 1722. vocatus fuit, ibidem cum maxime florere inciperet, an. 1731. non sine dolore multorum mortuus, vir multo longiore vita dignus et a liberalitate ut quamplurimum commendatus. Vixit in conjugio, sed quod dolendum absque omni posteritate.

praenunciaret *n*). Nec fefellit eum multis exemplis confirmata opinio. Nam cum senectus, desperatus ille morbus *o*) nulla prorsus ratione in melius commutari posset, Schwartzius 28. Dec. an. 1728. finem vivendi fecit, postquam inter frequentissimas vitae molestias earumque vicissitudines annos LXXXVII. explevisset. Funus ei I. ecclesia Eperjesiensis 9. Jan. 1729. ea cum honestate apparavit, ut neque Ven. quondam Superintendentis honori, neque purioris coetus Evangelici existimationi quidpiam defuisse crederetur. Meruerat enim funus nobile et honestum in patria sepulturae locum, qui tot tantisque annis pro salute civium patriae magna animi contentione laboraverat. Deus, qui puriorem coetum Eperjesiensem inter mille pericula superesse voluit, in posterum quoque propitius tueatur et quoties fidei animarum curatore opus fuerit, Schwartzios indulgentissime redire sinat, neque adflictum extra moenia gregem suum dirui patiat.

Christianus Phanschmidt.

Si quid divinando adsequor, de Ven. Phanschmidio prolixè commentari opus non est, cum vix quisque litteratorum inveniatur facile, cui vitae ejus et officii rationes ignotae esse possint, ne tamen sequutura posteritas jure conqueratur, ordine, quem ingressus sum, vitam ejus et quae huc pertinere videbuntur, percensebo. Natus ille fuit in Lib. Regiaque Civitate Leutschoviensi patre, quod scio, Daniele Phanschmidt, Tribuno plebis gravissimo, matre Susanna Maylatin. In patria adoleverat et haud vulgaria studiorum fundamenta jecerat, fidelissima Ephraimi Kretschmeri *a*) instituti-

n) Eleganter hanc in rem commentatur Hugo de clastro animae Lib. II. Tres, inquit, sunt nuncii mortis: casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas grava, senectus certa nunciat. Casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, et senectus praesentem.

o) Non tantum Terentius in Phorm. Act. IV. Scen. I. senectutem morbum appellat, sed etiam Seneca Epist. 108. insanabilem esse dicit.

a) Ephraimus Kretschmerus aequè Leutschoviensis patrem venerabatur Joh. Kretschmerum, gymnasii patrii conrectorem, matrem Dorotheam Reuterin. In patria ad an. 1674., quo Evangelici maxime premebantur, studia percoluit atque demum Claudiopoli in Transilvania et Leucopetrae in Misnia versabatur, postremo eadem Jenae et Wittembergae in Universitatibus confirmavit. Ab exteris reversus fit in patria an. 1683. conrector et contestata

one usus. Haec ut ulterioribus progressibus auferentur, ex arbitrio majorum Vratislaviam commigravit et ne spem, quam amici de eo conceperant, eluderet, Martino Hanckio et Joh. Gottlob. Crantzio in Collegio Elisabethano ita adhaesit, ut nullus abiret dies, quin doctior meliorque evaderet. Neque tamen hic substitit diligentia ejus, quin ulterioribus auctibus fuerit locupletata. Inde enim ex voluntate amplissimi senatus Leutschoviensis *b)* ad universitatem Jenensem an. 1685. missus, viros multo celeberrimos, Bechmannum, Bayerum et Veltheimium duces sectatus est. Superatis feliciter laboribus academicis, quibus ultra quinquennium immorabatur, an. 1691. patriae redditus, biennium in privato exegit et fatis functo Augustino Lazari *c)* in patria I. nationis germanicae Diaconus constitutus atque an. 1693. ministerio Jacobi Zabeleri Superintendentis confirmatus

diligentia post annum Rector, quod officium magna cum dexteritate ad an. 1690. administravit et eodem anno Diaconus I. nationis germanicae in patria factus ita in sacra hac provincia versabatur, ut ad superiora promotus in pastoratu moreretur.

b) Olim in more fuit, dum magistratus Evangelici civitatibus moderarentur, ut juvenes in spem patriae nati publicis sumtibus apud externos alerentur, quod Leutschoviensium, Cassoviensium, Trenchiniensium, Sempronensium, Neosoliensium et reliquorum exemplo infinitis modis confirmari posset; sed postquam fatis ita ferentibus a magistratu deturbati fuissent Evangelici, etiam optima ingenia non sine maxima coetus purioris jactura his subsidiis privari fuit necessum.

c) Augustinus Lazari patre Johanne, Rectore Rochsensi, Holomicensi et postremo Topporcensi Rochsae an. 1635. natus, dum ad litteras propenderet, Bartphae eas ab an. 1648. ad an. 1653. sub Martino Pfeiffero percoluit, atque demum Igloviae sub Tobia Pollucio. Vetusolii sub Jacobo Scapalio et vel maxime Sempronii sub Christiano Seelmanno amplificavit. Hinc an. 1659 in Julio Wittembergam delatus, sequente statim anno mense Octobri domum rediit et post triennium Olassini Slavorum concionator factus est. Illinc 1664. Quintoforum transiit et procedente tempore XXIV. Regalium Consenior constitutus fuit. Hic in uxorem duxit honestam virginem Annam, Rev. Davidis Trangi Odoriensis Pastoris filiam. Sed non fuit ei Quintofori diuturna mansio. Nam an. 1669. mense Mart. pastoratum Quintoforensem cum provincia Diaconi ecclesiae Slavonicae Leutschoviensis commutavit. Res involvebatur difficultatibus, cum nonnullis ab ea statione ad Diaconatum transire insolitum videretur. Sed militabant pro eo exempla Rev. Francisci Németh ab ecclesia Sperensi, Rev. Martini Adami ex ecclesia Eremitana, Rev. Joh. Klesch ex Tótfalvensi Leutschoviam ab obeundam Diaconi provinciam transeuntium. Hic noster Augustinus primum Slavorum, dein Germanorum Diaconum egit et an. 1693. beate in Domino mortuus est.

fuit. In hac statione, quam diutius occupabat, ita se exercuit, ut procedente tempore non tantum ecclesiae Leutschoviensis Pastor, sed etiam post fata Schvartzii Lib. Reg. Civitatum Superintendens fuerit constitutus. Quae post benignam quondam Imperatoris Caroli VI. resolutionem in negotio Superintendentis in I. Districtu nostro Cis-Tibiscano excitatae fuerint controversiae, eas hic prolixius percensere neque consultum satis est, neque necessarium. His enim feliciter consopitis *d)* non tantum Ven. quondam Superintendens Phanschmidius majoribus curis fatigiisque liberatus fuit; sed etiam adfictis rebus Evangelicis ita consultum, ut jam I. Districtus noster Cis-Tibiscanus cum Lib. Regiisque Civitatibus concordibus suffragiis constituat, quicquid ad communem utilitatem animadverterit pertinere. De eruditione Ven. Phanschmidii et prudentia longo rerum usu comparata, uti nemo dubitavit unquam; ita erant non pauci, qui eidem haud obscure tenacitatem adscribebant, nulla ratione facile excusandam. Sed usu venire solet, ut ex sententia Horatii

Maxima pars hominum morbo jactetur eodem,
hinc uti idem poeta non sine ratione judicabat

Bene est, cui Deus obtulit

Parca, quod satis est, manu.

Mihi procul odio et gratia judicanti, vir de puriore coetu patrio non male meritis, modestiae et pacis studiosus, uti priore, ita hoc vel maxime nomine infelix fuisse videbatur, quod possessor multarum opum et dives pecuniae absque liberis diem supremum obierit.

d) Postquam benigna resolutio regia Evangelicis nonnisi IV. Superintendentes in Hungaria admitteret et Lib. Reg. Civitates peculiarem, uti prius, Superintendentem habere non permetterentur, mortuo 1738. Ven. Antonio Superintendente, in eo elaborabant non pauci, ut Summe Rev. Phanschmidius Liberarum Regiarumque Civitatum Superintendens, dum vixerit, toti I. Districtui Cis-Tibiscano praeficiatur. His consiliis etsi Ven. Contubernium nostrum Gömöriense ita movebatur, ut in publico conventu Ribnicensi eodem anno celebrato communibus suffragiis Ven. Phanschmidio deferendam esse hanc provinciam statueret sententiamque suam 8. Decemb. an. 1738. peculiaribus litteris Spect. Dom. Thomae Szirmay t. t. Supremo Inspectori significaret, quia tamen nonnulli totum hoc negotium externarum praerogativarum praetensione metirivebantur, I. Districtus in aliam veniebat sententiam et ex IV. Candidatis a Supremo Inspectore praesentatis eligebat Superintendentem Georgium Ambrosium.

Nam etsi ei fuerit filius blande satis et liberaliter educatus, tantum tamen abest, ut in solatia parentis succreverit, ut potius non sine praesentissimo ejus dolore prius extra patriam finem vivendi consequeretur, quam V. pater fuerit opinatus. His et similibus non leviter exagitatus, solitariam egit vitam et superatis, quae eum circumstabant, molestiis, aetate gravis an. 1741. vitam hanc cum immortalitate commutavit. Inc. ecclesia Leutschoviensis, quae a primordiis emendatae religionis dignum ministerio Evangelico pretium statuere novit, in eo vel maxime elaborabat, ne vel mortuo Superintendenti vel dignitati suae deesse videatur. Hinc apparavit ei funus, non minus ejus existimatione, quam suo honore dignum et in magna populi frequentia ritu christianis usitato terminatum. Efficiat pro sua bonitate Deus, ut purior ille coetus Evangelicus in dies apud Leutschovienses increscat et non minus Ministerium undiquaque florens, quam ii, qui in partem curarum veniunt, fortunati et universa, quaqua late patet, ecclesia felix supersit atque, dum vota valuerint, valebunt autem perpetuo, majora in dies incrementa sortiatur.

Sectio II

de

Superintendentibus post benignam resolutionem Carolinam.

Postquam Augustissimus Imperator Carolus VI. ad multas fidelium suorum subditorum supplicationes Evangelicis IV. et totidem Reformatis Superintendentes indulisset a), Evangelici tam prolixam gratiam pro dignitate aestimaturi et rebus suis, ut optime

a) Statim ac commissio regia, in negotio religionis an. 1721. Pestini celebrata, ad finem fuisset deducta, sequebatur benigna Caesareo-Regia Actorum Commissalium Decisio in I. Comitatu Gümöriensi an. 1731. mense Majo publicata, in cujus puncto V. non tantum Superintendentes Evangelicis permittuntur, sed etiam adjiciuntur sequentia: Horum muneris erit, moribus sibi subjectorum Ministrorum invigilare ac in excessivos condigne etiam animadvertere.

feri poterat, consulturi, omnes, quas possident, ecclesias, in IV. Districtus b): Cis-danubianum, Medium seu Montanum, Cis-Tibiscanum et Trans-Danubianum partiti sunt et cuilibet Districtui permissione regia Superintendentem, reliquis Ministris invigilaturum, praefecerunt. De quibus pro numero Districtuum distinctis 4. Capitibus commentari constitui.

Caput I

de

Superintendentibus Inclyti Districtus Cis-Danubiani.

In hoc Inclyto Districtu primus post benignam resolutionem Caesareo Regiam electus fuit Superintendens

Jacobus Zaborszky

Ecclesiae Artic. Ivankofalvensis in I. Comitatu Thuroczyensi Pastor multo dignissimus. Hic in pago ejusdem Comitatus Zabor dicto nobili genere natus, postquam in patria adolevisset et uti ipse haud raro

b) Ad Inclyt. Districtum Cis-Danubianum pertinent Comitatus: Posoniensis, Nitriensis, Trenchiniensis, Thuroczyensis, Liptoviensis et Arvensis Ad Montanum, quem alii Medium appellant: Zoliensis, Nagy Hontensis, Barsiensis, Neogradiensis et Pestiensis, (ab an. 1792. etiam Békesiensis, Aradiensis, Torontaliensis et Temesiensis) (A z á r j e l k ö z t i t o l d a l é k m á s v a l a k i é).

Ad Cis- et Trans-Tibiscanum: Gömöriensis, Scepusiensis, Sárosiensis Zempliniensis, Abaujvariensis, Kis-Hontensis, Borsodiensis, Szabolcs- et Bihariensis et Szatmariensis.

Ad Trans-Danubianum: Mosoniensis, Semproniensis, Jaurinensis, Comaromiensis, Veszprimiensis, Castriferrei, Szaladiensis, Sümeghiensis, Albaregalensis et Tolnensis cum Sempronio et Jaurino, de quo Districtu in laudata jam epistola ita pronunciat Haynóczius:

Ferme trecentas tum numeravimus
Trans flumen aras, proh dolor hoc die
Ad paucitatem quam redacti!
Vix quater decem ecce supersunt.

enarrat ad studium usque Rhetoricum fuisset progressus, postulante ita necessitate, invitus fere et ad obeundum ministerium non satis praeparatus, ineunte hoc seculo ad ecclesiam Jeszenensem in I. Comitatu Thurocziensi sitam Neosolio *a)* evocatus fuit, ministerio Stephani Pilarikii Schemnicii sacris iuitatus. Brevis ei admodum apud Jeszenenses fuit mansio. Sedatis enim Hungariae tumultibus, in exilium ire jussus, singulari Dei providentia ad ecclesiam articulare Ivankofalvensem delatus est, in qua pluribus annis cum fructu et auctoritate rebus ecclesiae moderabatur. Vir fuit procerae staturae, robustus et ferendis continuis laboribus idoneus. Equidem, quod hic meminisse nullum est famae dispendium, profunde doctus non fuit, in dicendis tamen sacris sermonibus, quod Ven. socero suo *b)* debuit, felix et multo rerum usu ad res cum auctoritate gerendas ita exercitatus, ut viris multo doctissimis palmam dubiam facerevideretur. Hinc, ut opinor, factum erat, quod post benignam Caesareo-Regiam Resolutionem primus electus fuerit Superintendens, eo nomine multorum iudicio infelix, quod post electionem communibus suffragiis procuratam, uti sunt res humanae, antequam adulto more renunciatus fuisset Superintendens, propere obierit *c)*, in magna populi et I. Nobilitatis frequentia, ministerio Ven. Mich. Pohlii *d)*, tum Neczpalensium Ministri, an. 1736. contumulatus, vir,

a) Usus fuit Neosolii, uti saepesaepius enarrabat, institutione Cl. Joh. Pilarikii, viri omnium confessione multo doctissimi, sed ultra, quam quis arbitrari queat, profanis auctoribus dediti. Certe Ciceroni magis, quam sacro illi codici, quem biblia appellamus, incumbere et nulla prorsus ratione ferre potuit, si quis formulis loquendi divino codici familiaribus usus fuit, quod num ex aequo factum fuerit, facile admodum est existimare.

b) Is fuit Rev. Joh. Felkonius, superiori seculo apud Neczpalenses Pastor et Ven. Contubernii Thurocziensis Decanus et Notarius meritissimus, vir laboriosus, praeter alia ex adjecto carmine ad desiderium aureae pacis, quod Mich. Institoris scholae Moschoviensis Rector an. 1663. edidit, eruditus non ignotus. Hujus laboribus noster, quod scio, usus est.

c) Dum post electionem certa quaedam puncta Posonio ad eum mitterentur, quibus modus administrandi officii definiebatur, ita his commotus erat, ut malo, quod apoplexiam medici appellant, propere moreretur.

d) Michael Pohlius in I. Comitatu Castriferrei ad Fanum S. Gotthardi 15. Aug. an. 1705. patre ejusdem nominis, matre Elisabetha Osvald natus, cum natura ad studia propenderet, non tantum Sopronii, sed Neczpalini quoque sub Augustinio et Ambrosio, viris ad formandam feliciter juventutem natis, eadem percoluit et sub finem an. 1724. Wittembergam delatus

si quid vota amicorum valuissent, multo longiore vita dignus. Spes enim erat certissima, eum commissam sibi provinciam cum utilitate administraturum, cum nihil unquam desultoria quadam animi levitate in rebus ecclesiae agere solitus sit, sed collato cum magnis prudentibusque viris consilio, omnia prudenter definiverit. Frequenter, quod experiendo didici, cum praeclaris utriusque ordinis viris litteras commutabat et cives academicos, quos prioribus Ministerii sui annis sine ratione despiciebat, meliora edoctus, pro dignitate aestimare solitus est. In matrimonio, et eo quidem concordi, vixit cum Benigna Felkonii, de quo in superioribus injecta fuit mentio. Ex ea duos susceperat filios, quorum major natu Michael an. 1734. ad regendam ecclesiam Nitra-Szerdahelyensem ordinatus fuit, alter civilem agit vitam. Hic electus Superintendens vel eo nomine memorandus erat, quod nemo inter omnes fuerit Superintendentes, qui post electionem rite procuratam ante consuetum renunciationis actum vitam cum morte commutarit. Tantum.

Elias Mohlius

Ecclesiae Modrensis I. nationis Germanicae Pastor multo fidelissimus. Hic Posonium, illustrem illam Hungariae metropolim, natalibus suis illustravit et postquam ex sententia majorum studiis se consecratum esse advertisset, nihil unquam neglexit eorum, quae ad ea sive percolenda sive ornanda pertinere existimabat. Hinc cum in scholis patriae ita profecisset, ut divinarent non pauci, cum in posterum quoque non male collocaturum operam, continuandis melioribus litteris destinatum, in primordiis hujus seculi ad exteros ampliandorum confirmandorumque studiorum causa commigravit et collocato ibidem cum fructu tempore ita omnibus vi-

Wernsdorffum, Chladium, Janum, Schroeerum et reliquos duces sectatus est. Confirmatis feliciter studiis, postquam an. 1727. ad Thuroczienses redisset, anno statim sequente scholae Neczpalensis rector factus, per triennium proluxa cum utilitate copiosae juventuti moderabatur et evocato ad Krajnenses Rev. Augustinio ibidem an. 1731. stationem Rectoris cum ministerio commutavit. Quam praeclare hic versatus fuerit vel hinc colligas, quod ad Neosolienses vocatus utriusque I. nationis Ministrum egerit, sed breve post tempus multorum odia declinaturus ad Osztroluczenses et hinc ad Schemnicienses translatus, dum optime apud Inc. nationem Germanicam de rebus Evangelicis mereretur, mandato Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis, ab officio deturbatus, vir doctissimus, et multis nominibus meliore fortuna dignus.

tam et studia sua commendavit, ut eum I. ecclesia Modrensis Ministrum suum esse voluerit *a*). Hic omnes adtributas sibi partes ita obibat, ut post inopinata Ven. Zaborszki fata, habita haud vulgari I. nationis Germanicae ratione, 12. Aug. an. 1737. renunciatus fuerit Superintendens. Solennem hunc actum Summe Rev. quondam Joh. Andreas Rabacher, Poseniensium Pastor, erudito sermone germanico, qui impressus est, Ven. autem Michael Pohlius, tum Neczpalensium Minister, elegantiatione latina *b*) conhonestavit. De eruditione, profunda lingvarum orientis cognitione, modestia et magna in procurandis ecclesiarum rebus dexteritate, nihil adtinet dicere, cum et in vulgus nota sint et ea tanti viri modestia, dum vivus est, percensere non patiat. Hoc ad laudem perpetuo duraturam ei satis est, quod constitutus Superintendens non solum commissas inspectioni suae ecclesias an. 1742 diligentissime visitaverit: sed etiam cum ratione constituerit multa, quae ad publicam coetuum Evangelicorum utilitatem longo rerum usu didicerat pertinere. Quam providus sit in consopiendis controversiis, quae in Districtu haud raro oriri solent, exemplo Thurocziensium testatum fecit *c*). Hinc nihil superest amplius, quam ut magno viro longam vitae constantisque valetudinis usuram, cum felicissimis piarum destinationum successibus ex animo comprecemur.

a) De I. ecclesia Modrensi et ejus V. D. Ministris consuli debet Joh. Georg. Schreiberus, ibidem Consul, in Descriptione urbis Modrensis an. 1719. typis impressa, quam refellere nitebatur, quod monumenta religionis Evangelicae adtinet, Rev. Gabriel Szerdahelyi S. J. in libello an. 1721. Cassoviae evulgato, in 12., cui titulus: Antidotum contra venena, sed quomodo hac opera defunctus sit, hic loci recognoscere opus non est.

b) Dixit, quod scio, in solenni illa Panegyri Pohlius de ordinis ecclesiastici origine, incrementis, commodis, abusu et incommodis non minus eleganter, quam erudite, et uti necessum erat, sub finem orationis, erga Deum immortalem religiosa pietate Augustissimum Imperatorem Carolum VI. votis ab animo profectis, et Inc. Patronatum debita observantia defunctus est.

c) Postquam Postilla cel. Speneri opera Ven. Eliae Mileczii in Slavonicum translata et an. 1729. (imo an. 1736. et 1738. cum Cl. ac Rev. Joh. Csernanszky Lipsiae, ubi sunt impressa, studuisset, qui corrector eorum erat) typis impressa divulgarentur multisque modis a quibusdam commendarentur, Venerandum illius temporis Ministerium Thurocziense, antiquae illius simplicitatis puriorisque doctrinae tenax, non tantum immoderatis commendationibus resistebat, sed etiam consignatis quibusdam, quae displicebant, promiscuos auditores a lectione eorum avocabat. Hanc controversiam, prius-

Caput II

de

Superintendentibus Inclyti Districtus Montani
seu Medii.

In hoc I. Districtu Montano post benignam Resolutionem Caesareo-Regiam primus electus fuit Superintendens

Samuel Michaelides

Optavisset equidem ex animo luculentiorum tanto viro parentatorem, cum nec ipse Cicero sempiternae gloriae commendari per eum voluerit, qui non ipse quoque in commendando propriam ingenii gloriam fuerit consequutus: quia tamen id alieno hoc rei Evangelicae tempore factum non est, suffecerit mihi, cum merita Superintendentis nostri oratione mea exaequare non possim, si brevissima hac commentatione obstrictissimam fidelissimi animi mentem et post fata fuero contestatus. Omnium enim confessione Chrysostomum hujus seculi descripturus sum ad posteritatem, omni mea commentatione infinitis modis superiorem. Natus ille fuit amplissimo rei Evangelicae commodo 18. Febr. an. 1674. patre aequae sacerdotali dignitate conspicuo, Johanne Michaelide, Szokolcensium et dein Brezoviensium Pastore et Ven. illius Contubernii Seniore, an. 1705. mortuo, matre vero Elisabetha Szobieszlawszky, et quidem, quod mireris, in Ducatu Silesiae

quam in flammam abiisset, pro sua prudentia non solum an. 1739. per epistolam multo elegantissimam, ad Ven. Ministerium Thurocziense datam, quae mihi ad manus est, sed etiam in visitatione ecclesiarum an. 1742. instituta, magna animi contentione consopire adlaboravit et utramque partem ad servandam fidei unitatem et mutuam concordiam studiosissime hortatus est.

Liegnicensi, pago Leidersdorf *a*). Sedata, auctoritate Augustissimi Imperatoris Leopoldi, decennali illa ecclesiarum Evangelicarum divexatione, Ven. pater ex Silesia in Hungariam revocatus et ecclesiae Brezoviensis Minister factus, in eo diligentissime elaborabat, ut filius Samuel optimis praeceptoribus commendatus in spem afflictissimae patriae succresceret. Hinc non tantum Solnae, Zulyoviae, Neosolii, Szent Ivanii, Kesmarkini et Nagy Palugyae studia percoluit, sed vel maxime Moschoviaë Krmanni et Cremnicii Danielis Parschitii *b*) institutione usus ita profecit, ut an. 1690 Zittaviam delatus magno illi Weissio per quadriennium non sine utilitate adhaeserit. Sed neque his cancellis animus discendi cupidus poterat contineri. Hinc relicta Zittavia an. 1694. Wittembergam commigravit et 13. Julii Rectore Michaele Strauchio in numerum civium academicorum cooptatus est. Quomodo tempus studiis academicis destinatum sub Deutschmanno, Loeschero, Haneckenio, Neumanno, Dassovio et reliquis collocaverit, vel hinc condiscas, quod intra biennium ter in publicum prodire et vires suas inter eruditos disputando periclitari fuerit ausus. Hoc tantam nomini ejus addidit commendationem, ut 1696. ad regendam amplissimam ecclesiam Bottfalvensem, in Comitatu Nitriensi prope Vág-Ujhely sitam, vocaretur et 22. April. ejusdem anni Dresdae ministerio Christophori Schraderi Generalis Superintendentis sacris ordinibus initiaretur. Patriae singulari Dei providentia restitutus primum Festo Ascensionis suggestum apud Brezovienses ascendit et sequente statim Dominica Exaudi, opera Danielis Krmanni, tum Ven. Contubernii Notarii, ecclesiae commendatus est. Vix biennium abierat, dum majorum suorum consensu in matrimonium duceret virginem multo commendatissimam Catharinam, viri Plur. Rev. Geor-

a) Hoc propter decennem illam persecutionem factum fuisse nemo non advertit. Pater enim acerbiora quaeque declinaturus in Silesiam se receperat, ubi divina providentia in pago dicto. filium nasci contigerat, ab exilio in patriam revocandum.

b) Vitam Danielis Parschitii dedit Czvittingerus in Specimine Hungariae Litteratae p. 296., qui diversa fata sua optime complexus est, cum Joanae Coledano Album eidem exhibenti ita subscriberet: Daniel Parschitius primum Ill. scholae Gustrovianae in Ducatu Meklenburgensi Conrector, dein Modrensis, mox Cremniciensis Rector, tandem post carceres decennales Soranae, quae in Lusatia interiore est, jam iterum Cremniciensis Rector, Calendis Martii anno 1692.

gii Gobii, ecclesiae Modrensis I. nationis Slavonicae Pastoris et Ven. Contubernii Consenioris, matris autem Dorotheae Bresztyanzky filiam, an. 1730. 1. Apr. apud Neosolienses in Domino mortuam. Matrimonium hoc uti felix concorsque fuit, ita foecundum satis. Duos enim filios, Joh. Fridericum *c)* et Samuelem fatis functum, totidemque filias, Catharinam et Rebeccam *d)* felici traduce ad posteritatem generavit. Apud Bottfalvenses non minus doctrinae puritate, quam integritate morum ita inclaruit, ut eum Trenchinienses 18. Apr. 1701. Ven. Jonae Coledano *e)* in ministerio surrogarint. Post quinquennium feliciter apud Trenchinienses exactum an. 1706. die 6. Junii Cassensis Minister et illius Ven. Contubernii Senior factus est, quo titulo sequente statim anno Synodo

c) Joh. Fridericus Michaelides, magni patris non degener filius, dum haec scribuntur, apud Marothenses Pastor, et Ven. Contubernii Nagy-Hontensis Senior utrobique meritissimus, an. 1703. Modrae natus. Uti a primis adolescentiae annis optima quaeque minabatur, ita votis majorum ex aequo respondit. Postquam enim Neosolii sub institutione Friderici Karpil et Joh. Simonidae feliciter adolevisset, Jaurinum linguae hungaricae gratia missus, Martino Vásonyi, et demum Sempronii magno Deccardo praeceptore usus fuit. Horum fideli institutione ita profecit, ut arbitrio majorum Wittembergam delatus sub celeberrimis viris Vernsdorfio, Chladenio, Schroeero, Jano et reliquis studia sua magna cum accessione confirmavit. Revocatus in patriam Ven. quondam Sam. Matthaedae Eperjesini substitutum egit et 1727. Aszódien- sis Pastor factus est, 22. Sept. ejusdem anni Csetnekini sacris ordinibus initiatus. Hanc ille provinciam post inopinata fata Rev. Joh. Micsinszky cum Marotensi commutavit et rebus ibidem praeclare gestis, communi Rev. Fratrum sententia Ven. Contubernii Nagy-Hontensis Senior fuit constitutus, quo officio adhuc cum exstanti nominis sui commendatione defungitur, cui omnes boni mecum constantem valetudinem et ampliorem fortunarum accessionem ex animo comprecamur.

d) Catharina nobili quondam viro Petro Sextio apud Neosolienses Senatori, Rebecca autem Ven. Joh. Godofr. Oertelio jam Sempronensium Pastori nupserat, sed, quod dolebant multi, praeter expectationem fatis functa.

e) Jonas Coledanus patria fuit Rajecensis et confirmatis studiis scholae Puchoviensis ab an. 1658. per decennium Rector. Hinc vocatus Ujhelyini ad Kiszuczam Diaconus constitutus fuit et procedente tempore Puchoviae, Szulyoviae, atque demum Trenchinii Pastor eo nomine notandus, quod nimio adversariorum metu stolam, ut vulgo dicitur, amiserit. Supersunt posterius ejus, sed ita abjecti, ut vix umbram nominis ejus tueantur. Fit mentio Coledani nostri in numero tribulatorum non coarctatorum, qui Curru Mirabili Stephani Pilarikii adjuncti sunt. Haec enim ibi leguntur:

Rosenbergensi interfuit. Optavisset quidem ex animo ulteriorem sibi apud Cassenses mansionem, sed uti inter tumultus nihil stabile fuit unquam: ita neque provincia inter continuatos patriae tumultus magno huic viro oblata potuit esse diuturna. Deturbatus enim a statione, postquam per aliquod tempus tristem in exilio egisset vitam, 21. Martii an. 1710. ad Neosolienses vocatus ipsa Dominica Palmarum familiae huic utquamplurimum memorabili, I. nationis Slavonicae Pastor constitutus fuit. Quanta cum diligentia et utilitate sacris hic fuerit operatus, uti neminem pro dignitate percensere posse credo; ita experiendo didici, dum Vittembergae redux Spectabili Domino Ladislao Platy de Nagy Palugya et in Divék, Neosolii studiis operanti praeessem, nullum unquam abuisse diem, qui non cum proluxa frequentissimorum auditorum utilitate fuerit continuatus. Sive enim ex suggestu docebat, sive alibi versabatur cum hominibus, sine cessatione salutem eorum procurabat et quicquid a ministerio temporis erat reliquum, impiger conscribendis ad posteritatem libris consecrabat. Si quis enim optime de puriori coetu Evangelico imprimis ecclesiarum Slavonicarum meruit unquam, hic certe principe propemodum loco collocandus mihi est, qui utilissimam Summariorum Bibliorum versionem cum magna multorum utilitate conjunctam, non minoribus vigiliis *f)* quam sumtibus, nobis, et si quae speranda est, posteritati, dedicavit, ne quid de eruditibus ejus MSS., quorum conscius sum, hac vice adjiciam. Praeterquam enim, quod historiam Superinten-

Auch der Orlichius und Herren Coledan
Den exulanten Stab geduldig fassen an *).

*) Cujusdam Jonae Coledani habes in Synodo Rosenbergensi anno 1707. celebrata, ubi ita subscripsit: Jonas Coledanus eccl. Topor. Evang. P. et inferioris fluvii Poprád Senior (Más valakinek jegyzete).

f) Ultra septennium in versione bibliorum Summariorum laborabat. Anno enim 1723. die 1. Dec. laborem inchoavit et nonnisi 1730. distinctis IV. tomis litteris impressa prodierunt. Suscipiendi utilissimi hujus laboris, ut sciant posteri, haec fuit occasio. Ministri Slavorum apud Neosolienses quotidie Capita biblica brevissime populo explicare solebant, sed postquam Ven. Joh. God. Oertelius Osgyanino in ministerium utriusque I. nationis Neosolium vocaretur et labor hic eidem lingua peregrina apud Slavos saepesaepe peragendus esset, magno ejus commodo constitutum fuit, ut ad imitationem I. nationis Germanicae Summaria haec biblica praelegantur. Inde magnorum subinde operum exigua admodum sunt initia.

dentum magna decoratione conscripserat, Summe Rev. Hruskoviczio ad continuandum commendatam; etiam vastum illud Concordantiarum Lankischianarum corpus majori ex parte in Slavicum transtulerat. His profecto et fidelissima omnium partium sacri ministerii procuratore hoc meruit, ut die 22. Nov. an. 1732. communi omnium sententia in Superintendentem I. Districtus Montani seu Medii *g)* eligeretur, Garanszegini ritu apostolico confirmatus. Hanc ille provinciam, Deo rebus suis nunquam non propitio, ita administrabat, ut omnium expectationi ex aequo responderet et exemplum daret ad posteritatem. Tantas enim divina providentia in eum animi corporisque dotes contulerat, ut nihil ei defuerit prorsus, quod ad obeundam cum auctoritate Superintendentis provinciam desiderari posse videretur. Praeter insignem enim eruditionem et longo rerum usu comparatam prudentiam, eloquentia fuit, magnum illud eruditorum decus, quae eum nulli non prolixissime commendavit. Ita namque reddiderat eam sibi familiarem, ut Chrysostomus hujus seculi ecclesiarum Slavonicarum omnium confessione meruerit appellari. Ad omnem pietatem erat compositus, ut vitam ab adolescentia senectute fulgentem et in sacerdotio mille insignibus perfectionibus ornatam etiam passionibus pro justitiae amore decoraret, uti Anianus de Joh. Chrysostomo ex vero loquutus est *h)*. Pietati candorem, cordori modestiam copulavit et quae rara viri laus est, invictum adversus omnes fortunae insultus animum ita omnibus adprobavit, ut mirarentur non pauci, eum illatas sibi haud raro injurias tam forti animo tolerare potuisse. Hoc tum vel maxime testatum fecit, cum Trenchinii ministerio sacro defunctus Petri Pauli Gabrielis Zablatzky Equitis de Tuleschitz et Plebani Visovicensis epistolam an. 1702. mense Augusto scriptam acciperet *i)*. Nam etsi ita contumeliose exarata fuerit, ut bonus ille eques omnem *k)*, quae nobis innata est, humanitatem exuisse fuerit

g) Montanus Districtus a Civitatibus Montanis, quae et plurimae et nobilissimae in eo reperiuntur, Medius autem a situ ita appellatur.

h) Vid. Anianus in Prologo Chrysostomi expositionis super Evang. Matthaei.

i) Exstat, quod scio, consignata epistola haec in Historia Diplomat. p. 143. seq.

k) De gravissimis illis conviciis vel hinc arbitreris, quod in dicta epistola praedicans sceleratissimus, nebulo, impostor, infernalis furcifer, draco

visus; tamen tantum abest, ut conviciis alioquin gravissimis paria reddiderit, ut potius ultra, quam quis existimare queat, modestius respondendo innocentem causam suam exemplo Salvatoris Deo juste judicanti commiserit ^{l)}. Haec uti summo illi numini grata fuerunt et accepta, ita nulli bono displicuerunt, sed Ven. Superintendentem omnibus nostrum, quibus propius innotuit, adeo reddiderunt amabilem, ut nemo propemodum fuerit, qui non ei perpetuitatem fuisset comprecatus. Sed

Cessit Attas oneris super astra receptus

Curarum, annorum, laudis in orbe satur.

Nam quemadmodum inter continuas rerum vicissitudines nihil est perpetuum, ita magno huic viro finiendum erat tempus, mortali huic vitae destinatum. Hinc quia norat, latam semel hominibus moriendi legem nulla ratione evitari posse, uti semper alias, ita vel maxime aetate ad senium inclinante ad beatam illam emigrationem se comparabat et superatis, qui ei incubuerant, doloribus, 22. Nov. an. 1740. hoc, quicquid mortale fuit, cum immortalitate commutavit, felicissimus coelorum candidatus. Qui etsi I. ecclesiae Neosoliensi annis XXX. praefuerit et annos LXVI. natus inevitabili mortis lege rebus humanis interesse desierit; nemo tamen erat, qui non profunde doluerit, virum hunc in commune utilissimum vita excessisse. I. ecclesia Neosoliensis magno Superintendenti mille modis obstricta, instituto 27. Nov. solenni funere et post fata benevolentiam testabatur suam, nihilque neglexit eorum, quae ad conhonestandum tanti viri obitum pertinere existimabat. Praeterquam enim quod Ven. Michael Pohlius ^{m)} ex I. Sam. XXV. 1. exstanti cum utilitate pro concione dixit, etiam perquam Rev. Daniel Sartorius ⁿ⁾, jam divina providentia magni Michaelidis in Ministe-

tartareus, stolo, monstrum, membrum abscissum et mortuum, sacrilegus, idololatra, et quid non fuerit appellatus, eo tantum nomine, quod Visovicenses Evangelici Trenchinium sacrorum causa transire consueverint.

^{l)} Est apud me responsoria illa epistola per Joh. Fried. Michaelidem, magni nostri Superintendentis optimum filium, mecum communicata, digna profecto multis modis, quae publicam lucem adspiciat; sed erit, ut spero, alibi eam cum sequutura posteritate communicandi locus.

^{m)} De vita et fati Ven. Pohlii consuli debet p. 140—142.

ⁿ⁾ Daniel Sartorius patre magni nominis Elia Sartorio, scholarum Szentivánensis, Alnoviensis, Moschoviensis, Neczpalensis, semel atque ite-

rio successor ad aram cum magna nominis sui commendatione parentabat, reliquis, quotquot aderant, molestam orbitatem suam acerbe deplorantibus. Nam quod suo tempore Samuel ille Pomarius de Hülsemanno loquutus est, id ego de Ven. Superintendente nostro multis inductus rationibus ex vero pronuciare ausim :

Quem praesens stupuit, veniens venerabitur aetas,
Nec fortasse ferent secla futura parem.

Jeremias Pilarik.

Quam praeclara fuerit superiori saeculo gens Pilarikiana, in antecedentibus, quantum satis est, commonstratum fuit a), in nostro tamen Superintendente non tantum desiisse, quam ab ingenio

rum Csetnekiensis, Rectore et ineunte hoc saeculo an. 1704. Alnoviensi Pastore, matre Anna Fabricius Csetnekini an. 1704. natus, post tristem, quam primis statim annis necessum habebat profiteri, orbitatem studiis dedicatus, Kövini Davidi Dyoniso, Osgyanini Georgio Farkas et Késmarkini Cl. Georgio Buchholczio utquamplurimum adhaesit melioribusque litteris in patria optime percultus, Wittembergae apud Saxones Wernsdorfium, Schroeerum, Charitium et reliquos studiosissime duces sectatus est. Vix patriae restitutus fuit, scholae Csetnekiensis Rector an. 1730. constituitur, quam tamen provinciam post annum et quadrimestre spatium cum Eperjesiensi commutavit, non sine profusa juventutis utilitate utrobique versatus. Vix annus abierat, Ven. Petro Paulo Lendvay Slavorum Pastori, viro omnium confessione doctissimo, beate in Domino mortuo, ibidem successor datus est, 24. Jul. anno 1732. ordinatus. Sed non diu Ministerio hic defunctus fuit Sartorius. Obierat enim an. 1734. Pastor Kesmarkiensium Elias Perlicius, cui dum Ven. Fischerus, alter ibidem eo tempore Minister, sufficeretur, ejus in locum communi omnium sententia Sartorius noster translatus est. Hic dum maxime inclarescere coepisset, an. 1740. ad Neosolienses, utriusque I. nationis Ministerium obiturus, evocatur, sed quia eo plane tempore Ven. Superintendens Michaelides vivere desierat, I. nationis slavonicae Pastor fuit constitutus. Hanc ille stationem adhuc tanta cum dexteritate tuetur, ut vanus sim, si rem vulgo notam prolixioribus percensere velim. Loquuntur id ipsum utilissimi ejus labores, omnibus hujus temporis fidelibus et venturae posteritati dedicati. Praeterquam enim, quod Diarium et Florilegium publicum an. 1742. publici juris fecit, etiam Postilla magna adcuracione elaborata et an. 1746. magno cum fructu edita genti Slavonicae procuravit. Hinc nihil superest amplius, quam ut Ven. huic viro omnes longam vitae fortunarumque usuram ex animo comprecemur.

a) De familia Pilarikiana videri potest in antecedentibus consignatio

descivisse videtur, cum nemo sit, quod sciam, in patria nostra amplius, qui exempla majorum sequutus, sacro ministerio defungatur. Noster an. 1693. divino munere patre ejusdem nominis Dobronensi quondam Pastore, matre Julianna Zolnay natus, fundamenta humaniorum studiorum domi jecit, et dum per aetatem licuisset, Schemnicium missus, institutione Cl. Martini Dubovszky senioris *b*) usus fuit. Praeerat eo tempore non sine commendatione nominis scholae Neosoliensi Joh. Pilarik *c*), Superintendentis nostri patruelis, ad quem delatus toto ei quadriennio adhaesit et postremo sub Ven. Matthaeide Eperjesini studia amplificavit. Tandem exempla majorum imitaturus Wittembergam, celeberrimum illud Musarum emporium, adiit, sed nervo rerum gerendarum destitutus, exacto unius anni spatio, in patriam redire coactus est. Hoc dum Gutensibus innotuisset, ad regendam eum ecclesiam devocabant et an. 1717. ministerio Ven. Antonii consecratum Pastorem animarum venerabantur. Hanc ille stationem cum Tesziriensi, atque demum rursus Tesziriensem circa an. 1730. cum Dacsolomensi commutavit et ubique eruditi viri nomen cum honestate tuitus est. In linguis orientis haud vulgariter profecerat et nihil neglexit eorum, quae virum doctum sive ornare, sive commendare videbantur. Hinc uti cum ratione arbitrari licet, factum est, ut mortuo Ven. Superintendente Samuele Michaelide, Pilarikius dignus fuerit existimatus, qui ei 27. Aug. an. 1741. sufficeretur. Ne ad solennem inaugurationis actum ex adulto more quidpiam deesse videatur, Ven. Joh. Lovcsányi *d*) et Rev. Michael Pohlius procurarunt, quorum

vitae M. Steph. Pilarik et Czvittingeri Specimen Hungariae Litteratae pag. 303.

b) Vita et fata Dubovszkii designata sunt p. 134.

c) De Joh. Pilarikio dictum quidpiam est in superioribus p. 140.

d) Si de familia Lowcsaniana ex professo commentari vellem, multa mihi de Paulo, Timotheo, Christophoro et Georgio Lowcsányi, viris diversarum ecclesiarum procuratione claris, commemoranda forent. Haec enim gens a primordiis emendatae religionis ad hoc usque tempus sufficiebat viros multo utilissimos. Venerandus Joh. Lovcsányi, Georgii filius ex Margaretha Schindlerin natus, per complures annos ecclesiae Tamásfalvensi, dein Lestensi, in qua adhuc divino munere superest, moderabatur et in Ven. Con-tubernio Neogradiensi non tantum Oratoris et Notarii, sed etiam Senioris officio defunctus est. Jam aetatis satur, omni destitutus posteritate propter senectutem molestam agit vitam.

prior sacro sermone ad populum habito, alter ipsa inauguratione officia testati sunt, ne quid de Rev. Georg. Kádasy e), qui oratione latina pietatem exolvit, percenseam. Haec honoris accessio neque absque molestiis abiit, neque satis ei fuit diuturna. Dum enim optime de coetibus inspectioni suae commissis mereri intenderet, domesticis utquampulurimum malis fatigatus an. 1743. vitam cum morte commutavit, postquam breve admodum temporis spatium cum filia Nigriniana Schemniciense, quam viduus sibi in conjugem adsciverat, exegisset, ipsis feriis Corpóris Christi, digno tanto antistite funere elatus.

Samuel Hruskovitz.

Hic vir eruditione et meritis insignis dignus est, cujus cum omni laude sera recordetur posteritas: Sive enim eruditionem, sive vitam, quam egit, inculpatam, sive denique molestias, quas purioris coetus Evangelici causa forti animo pertulit, cum ratione metiaris, existimabis facile, omnes eum boni Superintendentis partes non sine commendatione nominis obiisse. Carponam, Lib. Regiamque Civitatem natalibus suis illustravit. Ibi enim inclinante ad finem seculo superiori parentibus multo honestissimis, Emerico Hruskovitz et Rebeca Zimani natus est, et dum studiis operari coepisset, prima statim aetate virum minabatur, publicis aliquando commodis haud vulgariter profuturum. Hoc tanto ei succedebat felicis, quanto divina providentia fideles magis nactus fuit praeceptores, qui eum ad omne decus summa animi contentione efformabant. In patria enim Jonam Sartorium a), Alnoviae Andream Fabricium, Schemnicii Martinum Dubovszkium, Neosolii Matthiam

e) Georgius Kádasy amplificatis Csetnekini studiis ex schola Carponensi a Kis-Zellóiensibus in Rectorem vocatus non ibi tantum, sed etiam in Banka et Palojtae juventuti cum fructu praefuit et dein in Nagy-Lam an. 1724. Minister constitutus fuit. Dum Pilarikius renunciaretur Superintendens, titulo Ministri Palojtensis in inaugurationis actu officio Oratoris defunctus est.

a) De Jona Sartorio, olim Sartorides appellato, uti ipse confitetur, Szucsaniao Thurócziensi, in Centuria mea Litteratorum Thurócziensium erit, uti spero, amplior dicendi locus.

Belium *b*), Joh. Major *c*) et Paulum Simonidem *d*), viros omni laude mea superiores duces sectatus est, ne quid de Mischovitzio, quem apud Rosnavienses praeceptorem coluit, hac vice percenscam. Horum fideli institutione ita profecit, ut dignus habitus fuerit, qui an. 1717. Wittembergam expediretur, ubi ea animi contentione laboravit, ut Wernsdorfii, Cladenii, Jani et Schroereri praeceptionibus non minus doctior, quam melior efficeretur, Patriae restitutus ex sententia Spect. Domini Joh. Radván *e*) et David. Spilenbergeri filiis clientibusque eorum per unius anni spatium moderabatur atque demum in I. Comitatu Nagy-Hontensi apud Maróthenses an. 1720. Minister constitutus, ita praeclare commissam sibi stationem per annos duos et decem tuitus est, ut an. 1732.

b) De his omnibus recensitis viris in antecedentibus dictum, quod satis est.

c) Johannes Major, vir eruditione et integritate vitae insignis, natus fuit patre Ven. Paulo Major viro jam laudato, matre Juditha Sartorius. Continuatis feliciter studiis non tantum Lónyobányae, semel atque iterum, sed etiam Cremnicii I. nationis Slavonicae Pastorem et scholae Rectorem egit et sub initium seculi hujus magna cum laude scholae Neosoliensi praefuit. A Lónyobányensibus Kóvinium vocatus dum omnia sua praeclare ageret, vir omnium sententia multo longiore vita dignus an. 1722. beate in Domino mortuus est, Pauli, Andreae, Johannis atque filiae Judithae, Ven. Joh. Glossio Csóváriensi Ministro multo fidelissimo in conjugem sociatae, felix pater, cujus posteritatem fortunatissimam Deus pro sua bonitate, uti coepit, indulgentissime complectatur.

d) Paulus Simonides, magni illius Johannis Simonidae, ad tiremes condemnati, de quo in superioribus dictum fuit, ex Catharina Machnik natus filius et Rev. Samuelis Simonidae minor natu frater, Wittembergae redux fit Neosolii primum Conrector, dein scholae Rector multo utilissimus. Vir erat omnium confessione eruditissimus, purioris illius latinitatis tenax, qui sub finem vitae variis animi morbis exagitatus apud Neosolienses an. 1736. in coelibatu mortuus est. Disputatio, quam sub Wernsdorfio de perpetuitate ecclesiae Evangelicae Wittembergae an. 1708. tuitus est, neque exteris ignota esse potest.

e) Johannes de Radván, Haereditarius in Szkubin et Malachau, insigne Hungariae decus, ita in adolescentia statim inclaruit, ut ei an. 1676. M. Paulus Platani Muotova et Joh. Maierus Alnovia Hungari, gentis Hungaricae prima incunabula Wittembergae disputando repetita, ejusque Ill. genitori Georgio de Radván dedicarint. Hic etsi maturus coelo vivere desierit: vivit tamen adhuc in filiis et in posterum victurus est. Supersunt enim singulari Dei providentia Sp. Dom. Georgius et Ladislaus de Radván, cum

mortuo Ven. Elia Institoris *f)* ad amplissimam Neosoliensium ecclesiam fuerit vocatus, ubi tanto cum studio laboravit, ut vim naturae intulisse videretur. Nam etsi linguam Germanicam ita familiarem sibi non reddiderit, ut, ubi se dabat occasio, prompte loqui potuisset, tamen Neosolium delatus, cum ei ex officio ad utramque I. nationem ex suggestu loquendum fuerit, ita tam, magno alioquin labore addidit, ut discedente an. 1737. ad Sempronenses Summe Rev. Johanne Godofredo Oertelio *g)* Pastor Germanorum

praesentissimo rei Evangelicae emolumento, ne quid de Stephano, minimo natu filio, adjiciam. Profecto nemo bonus est, qui non mecum illustri domui Radvánszkianae, quicquid est felicitatis, ex animo comprecemur.

f) Elias Institoris patre Ven. Michaele Institoris diversarum ecclesiarum Ministro natus, Danielis Parschitii institutione usus fuit, demumque studia sua Vratislaviae, Jenae et Lipsiae amplificavit. Tandem Dresdae in Collegio, quod ad S. Sophiam est, Homileticis per triennium operabatur et a Doctore Carpovio publice examinatus non sine commendatione inter Candidatos Ministerii relatus est. Anni abierant novem, dum matrem et amicos visiturus in patriam rediisset, et quidem adeo feliciter, ut opinione citius a Leutschoviensibus in Conrectorem vocaretur et post annos aliquot mortuo Rev. Francisco Minister Slavorum constitueretur, an. 1701. in exilio Zabele- riano in Zalman ordinatus. Hanc ille stationem cum Neosoliensi commutavit et primum utriusque I. nationis Minister, dein Germanorum Pastor fuit, vir eruditione et modestia clarus, an. 1732. beate in Domino mortuus, Excellentissimi Mathiae Institoris apud Leutschovienses Medicinae Doctoris felix pater.

g) Joh. Godofredus Oertelius Cremnicii in Montanis patre nobili Paulo Oertelio Senatore, matre Anna Pinnerin natus, in patria Danielis Parschitzii et Joh. Major institutione usus, causa linguae Hungaricae Rima-Szombathinum delatus Andream Göbölly et Andr. Széplaky coluit praeceptores et amplificatis Neosolii sub Matthia Belio, Joh. Major et Paulo Simonide studiis Wittembergae eadem ab an. 1716. ad an. 1720. sub viris multo celeberrimis Wernsdorffio, Chladenio et Schroeero et Jano confirmavit et eruditionem suam Dissertatione: Num bona opera sint ipsa vita aeterna an. 1720. testatus est. Vix domum reversus quieverat, Osgyaninum in Pastorem Hungaricum vocatus, commissam sibi provinciam cum laude tuitus est. Hinc ad Neosolienses translatus primum utriusque I. nationis Ministrum, dein fati functo Ven. Elia Institoris Germanorum Pastorem egit. Quam praeclare hic egerit omnia, vel hinc arbitraris, quod an. 1737. Sempronenses eum suum fecerant, ubi in hunc diem primarii Pastoris stationem cum magna nominis sui commendatione tuetur. Nomen suum utilissimis laboribus dudum immortalitati consecravit. Nam praeter complures sermones sacros variis occasionibus publici juris factos etiam Theologiam Aethiopum raro admodum exemplo ex litur-

fuerit constitutus. Mortuo Superintendente Jeremia Pilarik communi I. Districtus sententia, post electionem 10. Dec. an. 1743. liberis suffragiis factam, in ecclesia Garanszegiensi 22. Jan. an. 1744. Superintendens renunciatus est *h*). Brevis ei haec fuit dignitas et multis variisque calamitatibus involuta. Dum enim ex praescripto legum et consensu I. patronatus coetus suae inspectioni subjectos an. 1746. visitaret, ad dandam rationem visitationis *i*). Intimato Excelsi Consilii R: L. Posenium an. 1747. citatus *k*) ab utroque officio suspensus et postquam semel atque iterum comparere habuit necessum, sententia sanctoris illius senatus 8. Mart. an. 1748. absolutus fuit. De profunda ejus eruditione, lingvarum orientis peritia et cumulatissimis laboribus, cum nulli ignotum esse queat, prolixius commentari opus non est. Hoc ei ad laudem perpetuo duraturam scribi debet, eum in condendis sanctoribus hymnis multo fuisse felicissimum. Hinc non tantum Transcil Cytharam Sanctorum multis modis auctiorem evulgavit; sed praestantiores quoque cantiones germanicas raro admodum exemplo elegantissime in slavicum invertit, ne quid de laboribus ejus cateheticis multo utilissimis aliisque pluribus percenseam *l*). Tandem la-

giis et confessionibus eorum congestam 1746. in 8. edidit, ut reliqua in vulgus nota hac vice taceam. Dignus est profecto Oertelius, cui inter eruditos Hungaros locus adsignetur.

h) Gratulatus eidem est hanc honoris accessionem eleganti non minus, quam erudito carmine Cl. Joh. Blasius, tum scholae Ev. Cremniciensis Rector, jam, dum haec scribuntur, ecclesiae articularis Nagy-Palugyensis apud Liptovienses Pastor multo fidelissimus. Dignum profecto mea sententia carmen est, quod typis ad posteritatem perscribatur. Legerant idem eruditi anno, quo SaMVeL HrVskoVItz sVffragante statV LVtherano In Pannonia CreatVs SVperIntenDens.

i) Visitabant antehac Superintendentes Evangelici ecclesias sibi commissas, quoties id ex usu earum esse advertabant, siquidem ipse quoque gloriosissimae memoriae Imperator Carolus VI. in Resolutione sua Caesareo-Regia clementissime mandaverat, ut Superintendentes moribus sibi subjectorum invigilent: visitare tamen amplius adulto more ecclesias Superintendentibus Evangelicis peculiari Intimato Excelsi Consilii Regii L. 10. Mens. Maji an. 1748. interdictum est.

k) Duplici, quod scio, vice Posenium citatus fuit Hruskovitzius. Prior enim citatio ad 5. Sept., posterior ad 2. diem Oct. definita fuit.

l) Edidit Catechesin slavonice ad normam Dresdensis illius Hahnianae rudiori plebi accomodatam et de ejus utilitate modoque tractandi non minus prolixè, quam erudite praefatus est an. 1735. in 12.

boribus continuis, morbis et variis, quae eum circumstabant, molestiis enervatus 1. Sept. an. 1748. absque haerede masculino *m*) praeter expectationem finem vivendi fecit, amicissimo sibi, dum viveret, Ambrosio inter mille coeli gaudia associatus.

Caput III

de

Superintendentibus I. Districtus Cis- et Trans-
Tibiscani post benignam Resolutionem Cae-
sareo-Regiam.

In hoc Incolyto Districtu post tristem Ven. Antonii obitum communi sententia Superintendentens electus fuit

Georgius Ambrosius.

De Ven. quondam Superintendente Ambrosio tanto lubentius scripturus sum ad posteritatem, quanto mihi magis exploratum est, me in hoc negotio ea fide elaboraturum, ut neque nimium fecisse videar, neque parum. Enim vero si quis unquam honestam ejus vitam, labores et in sacram rempublicam Evangelicam merita sive olim, dum scholis praeesset, sive postquam Superintendentens fuisset constitutus, se cognovisse arbitratur: id ego profecto mihi confidenter tribui velim, cum eum et antehac habuerim cognitum, et toto, quod Csetnekini exegit, tempore eodem usus fuerim familiarissime. Ut igitur sciant posteri, natus fuit singulari Dei munere in I. Comitatu Arvensi, oppido Alsó-Kubin an. C. 1694. 18. April. patre pio et nobili viro Matthia Ambrosi, matre vero Susanna Ku-

m) Etsi Hruskovitzius noster nullum haerem masculum reliquerit, inter eruditos tamen perpetuo victurus est. Quis enim est, cui incognita sit exploratio Spiritus Brendeliani in nonnullis articulis fidei, dum Wittemberga rediturus erat, praeside Wernsdorfio litterato orbi communicata. Filiam, quam habuit, natu majorem mercatori apud Neosolienses Crantzio, minorem autem Plur. Rev. Joh. Martini, hoc tempore apud Tamásfalvenses in I. Comitatu Neogradiensi Ministro fidelissimo in eonjugem elocavit. Tantum.

baeskey. Scio quidem fuisse non paucos, qui exiguum nobilitati pretium constituebant adeo, ut Diogenes eam velamentum malitiae appellare non fuerit veritus *a)*; tantum tamen abest, ut id ex vero dictum fuisse putem, ut potius sentiam, non parum felicitatis accedere in Hungaria Ministro, si cum politioribus litteris conjunctam possideat nobilitatem. Nam quamvis ex sententia Hyeronimi *b)* nesciat religio personas nec conditiones hominum, sed animos inspiciat et sola sit apud Deum nobilitas clarere virtutibus: tamen haud exiguum inter homines decus est, si litteratae Palladi equestris dignitas adjungatur. Nobili genere natus Ambrosius ita educabatur, ut auspiciato ominarentur omnes, eum genti suae non exiguum cum tempore decus conciliaturum. Cum enim domi rem angustiozem, quam pro voluntate, haberet et ad litteras natus esse videretur, optimi parentes a studiis praesidia quaerenda esse existimabant. Hinc an. 1703. in scholam patriam missus, sub institutione Rectoris Evangelici Michaelis Pica in legenda et scribendo se exercuit et postquam an. 1707. ad regendam scholam Alsó-Kubinensem ex Collegio Eperjesiensi vocaretur Zacharias Petrovitzius *c)*, vir tractandis expoliendisque ingeniis utquamplurimum idoneus, non tantum in patria constanter ei adhaesit, sed exturbato quoque exercitio Evangelico, ad locum, ut dicitur, articulare Lestinensem eum sequutus est. Hujus in docendo diligentiam Ambrosius saepenumero non absque grati animi significatione praedicare solitus fuit. Hinc celebriores demum in patria scholas adiit, linguas, quibus Hungari loqui consueverunt, cum studiis ad circum pertinentibus familiares sibi redditurus. Docebat circa an. 1712. in schola Lib. Reg. Civitatis Késmárkiensis Georgius Bohus *d)*, Rectoris officio functus, ad quem ex majorum arbitrio eo-

a) Vide Lauertium in Vitis Philosophorum Lib. VI p. 411.

b) Legatur Hyeronimi Epist. XIV. ad Coelant. Tom. I. fol. 35.

c) Zacharias Petrovitzius, optimi patris Matthiae Petrovitzi filius, fuit Celeb. Rezikii in Collegio Eperjesiensi discipulus, qui confirmatis ibidem studiis ad regendam scholam Alsó-Kubinensem, dein Lestinensem vocatus ita diligenti informatione inclaruit, ut omnium consensu ibidem Pastor fuerit constitutus, quam provinciam et diu et feliciter administravit et pie in Domino mortuus Cl. Martinum Mudrony successorem nactus est.

d) Georgius Bohus Neosoliensis, alio nomine Szeniczky appellatus, amplificatis in patria sub Johanne Pilarikio studiis, eadem circa an. 1703.

dem anno delatus Ambrosius nihil egit, nisi quod ad officia perasidui scholae civis pertinere existimabat. Cum hic inter tacitos Musarum recessus adolesceret et in lingua germanica non contemnendos fecisset progressus, omnes curas suas eo convertebat, ut linguam hungaricam familiarem sibi reddat, in obeundis officii partibus aliquando non parum valituram. Hinc relicto Késmárkino an. 1714. Debrecinum et Diószeginum concesserat, et cum in neutro loco reciperetur, forte fortuna Berzethinum delapsus est, privatim perficere tentaturus, quicquid ad excolendam linguam patriae nobilissimam pertinere videbatur. Magni cum constitit utilissimae linguae hujus notitia. Praeterquam enim quod a publicis studiis non sine praesentissima temporis jactura feriari necessum habebat; etiam Rectorem scholae Berzethinensis Reformatum in docendis liberis adjuvare et quod sponte sua sequebatur, cum miseria haud raro collectari coactus fuit; ut proinde exemplo suo luculentissime confirmaverit, verum id esse, quod poeta non sine ratione cum dolore questus est:

Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.

Hanc miseram ejus apud Berzethienses conditionem non minus patrocinio, quam consiliis sustentabat Ven. quondam Martinus Regis e), vir propter praeclara in ecclesiam Rosnaviensem merita

Wittembergae confirmavit et redux propitia fortuna Késmárkini scholae Rector constitutus fuit. Inclaruit Panegyrico, quem Augustissimo Imperatori et Regi Hungariae Carolo VI. an. 1713. conscripserat et viris utriusque ordinis, imprimis autem Senatoribus Késmárkiensibus dedicaverat. Sed non fuit haec ei diuturna statio. Nam an. 1722. mortuus et Feriis Pentecostalibus sepultus est. Conrectorem eo tempore apud Késmárkienses egit Cl. Georgius Keil, a quo linguae graecae tyrocinia didicerat Ambrosius.

e) Martinus Regis patria Liptoviensis in oppido Bobroc natus circa an. 1678. Multum adhuc puer dilectis parentibus orbatu miseram in adolescentia egit vitam. Prima studiorum elementa in patria sub Andrea Zdánszky addidit et turbato cultu Evangelico apud Nagy-Bobrocenses, Szent-Ivánni Joanae Sartorio adhaesit, quem Nagy-Palugyam quoque sequutus est. Hinc Késmárkinum linguae germanicae causa delatus, cum sua ageret feliciter, dolo cujusdam studiosi Matthaei Király circumventus, non sine magna studiorum jactura cum eodem hinc inde errabat, usquedum relictis partibus Transdanubianis divina providentia Carponam veniret et sub institutione Andreae Joséphi, optimi praeceptoris sui, atque Cl. Martini Dubovszkii manu ductione egregie proficeret. Hic profecto et Cremnicii sub celebri illo Daniele Parschitzio ita diligenter elaboravit, ut 1704. Fülekinum ad muni

omni mea praedicatione superior. Abierat fere annus cum dimidio, dum ad studia redire animum induceret, operosa diligentia compensaturus, quicquid linguae hungaricae causa neglectum esse existimabat. Erant non pauci, qui Ambrosio cum ratione persuadebant, ut Sempronium aut Jaurinum concederet et una eademque opportunitate non minus studiorum cursum, quam utriusque linguae tyrocinia confirmaret; sed bellum turcicum, quod an. 1716. et sequenti gestum fuit, salutaria haec consilia impediabat. Hinc ad Eperjesienses sine mora proficiscebatur. Ibi enim eo tempore non sine celebritate nominis sui docebat et tristem Collegii iacturam utcunque sustentabat vir Clarissimus et longo rerum usu insignis Samuel Matthaëides f), cujus egregia in se merita perpetuo

Rectoris in schola obeunda vocaretur. Conquisito hic nervo, qui ex redditibus scholae parari poterat, an. statim sequente 1705. Fülekinò valedicit et 16. Jun. Wittembergam salutatur. Hic confirmatis feliciter studiis egregium eruditionis suae specimen edidit, cum libellum Pauli Emberi, ecclesiae Szathmáriensis Reformati Ministri, an. 1703. sub titulo: Garizim et Ebal Hungarice editum in latinum converteret et doctrinam de electione et reprobatione per Emberum propositam, praeside Celeb. Wernsdorfio sub examen vocaret atque iudicio b. Fechtii solide non minus, quam copiose a corruptelis Emberi vindicaret. Prodiit dissertatio haec Wittembergae an. 1707. sub titulo: Ember non Ember. In patriam redux statim an. 1708. 4. Martii Rector scholae Radvánensis constituitur, quo officio per biennium cum laude functus est. Anno 1710. mense Januario Carponam ad functionem ecclesiasticam evocatus et 10. ejusdem Schemnicii ordinatus, cum utilitate rem sacram facere coepit: sed post 6. hebdomadarum spatium exulare coactus Radvánii in privato delitescere necessum habuit. Hinc divina providentia an. 1710. Rosnaviam evocatus M. Martino Pelsőczio Pastori hungarico, atrocitate pestis sublato, successor datus est. Hanc ille provinciam successu temporis apud utramque I. nationem proluxa cum utilitate ad an. 1737. procuravit. Vir enim erat egregie eruditus et cum elegantia atque ratione facetus, non minus ecclesiae Rosnaviensi, quam Ven. Contubernio utilis et 9. liberorum, ex Magdalena Thurzó Radvánensi genitorum, felix pater. Ex his praeter Magdalenam, Annam et Barbaram filias nemo superest amplius. Filius enim Rev. Moses Regis an. 1737. optimo patri in ministerio suffectus, anno statim sequente non sine multorum dolore vitam cum morte commutavit. Ven. Martino Regis, qui 26. Febr. apoplexia tactus 4. Martii mortuus est, die ejusdem mensis 7. funus solenne apparatus fuit, cui in magna populi frequentia Ven. Andreas Wietoris Kun-Tapolczensis ex Matth. XXVI. 38—44. in aula, Reformati autem Minister Rev. Joh. Bornemisza ex Esai. VIII. 18. in templo pro concione dixit.

f) Samuel Matthaëides cum viro ejusdem nominis Moravo circa an.

venerabatur Ambrosius. Vix enim delatus erat Eperjesinum, singularem ejus benevolentiam expertus est, dum eum non tantum discipulorum numero adscriberet, sed postquam propius ei innotuisset, etiam in domum reciperet et filios nobilium, quos domi suae educabat, ejus dexteritati commendaret. Nam Rothianam, Berzevitzianam et Sárossianam juventutem ad quaevis summa natam in cursu studiorum ita confirmavit, ut singulari studiorum praesidio, avitam majorum virtutem cum dignitate tueri posse videretur. Hac diligentia eam sibi laudem peperit, ut absque longiori deliberatione communi omnium, qui in partem curarum veniebant, sententia classi Grammatistarum praeficeretur. Huic ille ita moderabatur, ut omnes perpetuum eum optavissent praeceptorem, nisi sua sponte et majorum consilio studia apud externos confirmare destinavisset. Exacto igitur apud Eperjesienses biennio an. 1718. ipsis Feriis Pentecostes Wittembergam concessit, disciplinas ad circulum solidioris doctrinae pertinentes confirmaturus. Non caruit susceptum hoc iter difficultate, cum praeter expectationem febris ardente adeo divexaretur, ut Vratislaviae per dies 14. quiescere habuerit necessum: hoc tamen ei singulari Dei munere datum fuit feliciter, quod in ea incideret tempora, quibus alma illa purioris doctrinae sedes et omnium bonarum artium sacrarium aluit viros toto eruditorum orbe longe celeberrimos. Floruerunt enim eo tempore magno civium academicorum emolumento, Wernsdorfius, Chladenius, Schroererus, et Janus doctores sacrarum litterarum omni laude mea infinitis modis superiores, quibus noster discendi cupidus non tantum facile innotuit, sed etiam per triennium ita con-

1664. Dachoviensi Ministro non confundendus. Noster hic natus fuit Kubinii apud Arvenses, patre nobili Jacobo Matthaeide, matre Anna Migyelkay. Majores patriae scholas ingressus Késmárkini Eccardum, Jaurini Torkossium et Carponae Martinum Dubovszkium duces sectatus est. Juridicendo animum adplicaverat, sed tumultibus patriae non leviter turbatus in Collegio Eperjesiensi Celeb. Rezikio adhaesit, atque tandem per Inspectores dicti Collegii in Pomeraniam missus apud Gryphisvaldenses ita elaboravit, ut eruditionem suam peculiari Dissertatione, Roma et Geneva Hungariae irconciliabiles an. 1708. contra Samuelem Nigrini Solnensem conscripta, luculenter fuerit contestatus. Hinc evocatus Cel. Rezikio in Collegio Eperjesiensi suffectus fuit, cujus facie in deterius commutata non tantum scholis, sed etiam ecclesiae Slavorum praefuit, an. 1712. ordinatus. De Gymnasiologia ejus in superioribus dictum est. Mortuus est vir in commune utilis an. 1729. relicto unico filio, qui tamen expectationi bonorum non respondit.

stanter adhaesit, ut neminem ex iis nominarit unquam, cui non certam profectuum partem voluerit adscriptam. Multi quidem, uti dudum tristis comprobavit eventus, ad externos delati, inania prensant et non minus tempus, quam pecuniam turpiter prodigunt, rerum suarum, quae ad comparandam eruditionem pertinent, minus curiosi; sed multo aliam inierat viam Ambrosius, qui toto, quod in Academiis vixit, tempore non minus pietatem, quam diligentiam praeceptoribus adprobavit; nec prius Wittemberga egredi constituit, quam publico diligentiae argumento comparatam ibi eruditionem fuerit contestatus. Cum igitur confecto feliciter studiorum academicorum cursu in patriam redire meditaretur, celeb. D. Wernsdorfius, praeceptor aequae meae etiam post fata venerandus, de causis turbarum in ecclesia commentabatur, quam ejus dissertatio-
nem g) die 11. Martii an. 1721. ita defendit noster, ut expectationi praeceptorum ex aequo responderet et sibi compararet laudem valituram ad posteritatem. Nihil jam restabat amplius, quam ut eadem felicitate Wittemberga excederet, qua olim Saxoniam fuerat ingressus; sed alias, ac sperabat, cessit iter revisendae patriae destinatum. Dum enim compendio uti vellet, et superata fere Silesia per limites Poloniae ad I. Comitatum Arvensem, in quo natus erat, se commodissime transiturum speraret, praeter omnem expectationem Bielae sub nomine Ministri Evangelici captus et in custodiam traditus fuit. Hoc quidem non multum curabat Ambrosius, nihil mali sibi conscius, subinde revocabat ad animum vulgatam illam poetae sententiam :

Hic murus aeneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,

precedente tamen tempore experiendo addidit, omnia ad conflandum ei periculum fuisse comparata. Dum enim Bielae multis numero argumentis innocentiam suam confirmaret et nonnisi dimissionem indubie praestolaretur, reperti sunt aliquot numero poloni, qui jurejurando adseverabant, eum clam in montibus ministerium ritu Evangelico peregrisse. Hinc factum est, ut ex arbitrio superiorum curru imposuit Cracoviam deduceretur, tribunali ecclesias-

g) Reperitur elegans haec dissertatio in disputationibus Academicis Wernsdorfii a D. Zeibichio tribus voluminibus Wittemb. an. 1736. editis. Conf. Volumen 1. num. XIII. p. 447.

stico propediem sistendus. Vix huc inter lacrymas et suspiria ad-
vectus fuit, confluerunt non pauci, eruditionem Ambrosii dispu-
tando exploraturi: ille tamen studiosissime omnem disputandi oc-
casionem declinabat et se in tantum profecisse, ut iis pro digni-
tate respondere queat, prudenter dissimulabat, quo effecit, ut non
in publicos carceres, sed in pistrinum aliquod domui episcopali ad-
iunctum fuerit detrusus. Dici non potest, quanta virium contentio-
ne in eo laboratum fuerit, ut ad deserendam religionem evangeli-
cam perducatur, sed cum id per conscientiam se facere posse ne-
garat, poena mortis eluendum sibi esse crimen significabant. Unus
inter omnes, qui ad eum mittebantur, praecipua laude dignus fuisse
existimabatur, P. Goresicsky *h)*, vir liberalis ingenii et fama eru-
ditionis apud suos clarus, qui uti saepe numero ad eum veniebat,
ita semel discessurus Ambrosium ad constantiam Horatiano illo
tacite submonebat:

Vivito fortis

Fortiaque adversis opponito pectora rebus.

Stimulus hic erat animo Ambrosii ita infixus, ut nulla eum prorsus
oblitterare potuerit oblivio. Sive enim blandirentur misero, sive mi-
narentur poenas, stabat invictus, nec loco dimoveri poterat, mar-
pesia cautes. Ter in causa ejus sanctior Cracoviensium coibat se-
natus, negotium tam involutum ex praescripto Canonum revisurus.
Cum igitur accitus in Senatum, causam suam per Advocatum,
quem Poloni Instigatorem vocant, perorare juberetur, adeo ineptum
causae suae patronum nactus est, ut quoties ei coram Senatu ec-
clesiastico aliquid dicendum esset, toties ex adstante sibi Ambro-
sio quaereret sententiam. Postremo advocantur Biela testes, qui
coram Senatu pertinaciter dejerabant iterum, et eo ipso innocen-
tem Ambrosium in praesentissimum vitae discrimen adducebant.
Nam Senatus ille sanctior mala testium fide circumventus mortem
eum commeruisse deliberabat, et latam publice sententiam, publi-
co Conventus libro adscriptam, Ambrosio per internuntios signifi-

h) Goresicsky iste ex clarissima Sinapiorum gente prognatus, imme-
mor majorum suorum cum religione et nomen mutavit. Sinapi enim Slavis
est Horrice, ex quo ad imitationem Polonorum Goresicsky enatum fuit. Ita
fit, ut qui semel ab institutis majorum desciverunt, ne nomen quidem eorum
patiantur.

cabat. Putavisset non nemo eum tristi hac sententia territum iri, sed tantum abest, ut inexpectato hoc nuntio fuerit perturbatus, ut potius raro fidelium Confessorum exemplo iret ovans animus et spe sua damna levaret. Erant quidem non pauca, quae adfecto adderent afflictionem et ingererent metum morte ipsa periculosiorem, cum et adlatae fuerint vestes, quibus ad mortem condemnati indui solent, et jam adesset currus eum ad locum supplicii primo mane deducturus; sed Ambrosius inter spem et metum constituit, totam eam noctem, quam ultimam esse putarat, insomnem duxit, Deum religiosissime venerabatur, imo quidquid temporis fuit reliquum, devotioni consecrabat et adversus omnes sathanae insultus eleganti symbolo suo: *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui* *) se validissime in spem contra spem erigebat. Tandem singulari Dei providentia factum est, ut dum vestes illas ex vulgari linteo consutas, in quibus ad locum supplicii deducendus erat, advenerint nuntii litteras ad Ven. Episcopum Cracoviensem non tantum a Spect. Dom. Josepho Okolicsányi, I. Comitatus Arvensis Vice-Notario Ordinario, sed etiam a Governatore arcis Arvensis scriptas adportantes, quibus uterque et a suspitione Ambrosium liberabat, et pro innocente intercedebat liberamque dimissionem omnibus modis procurare nitebatur. Multum quidem valebant Arvensium litterae, quandoquidem ab iis profectae fuerunt, qui rebus Inc. Comitatus cum auctoritate moderabantur et eadem profitebantur sacra cum Polonis: negotium tamen Ambrosianum multis porro involvebatur difficultatibus, cum ille bona fide se Ministrum Evangelicum esse profiteri non potuerit, illi autem sententiam publico libro adscriptam ex legum praescripto nunquam amplius posse expungi adseverarint. Hinc P. Gorsiecky commodorum Ambrosii multo studiosissimus, non tantum ei persvasit, ut se ministrum Evangelicum esse fateatur, sed etiam Ven. Episcopum supplex magna cum humilitate exoravit, ut habita ratione intercessionis tantorum virorum, sententiam mutare et Ambrosium, alterius regni civem, ex Polonia proscribere aut quacunque demum poena in eum animadvertere dignaretur, cum certum sit atque exploratum, nihil commodi redundaturum in Republicam Polonicam, si caput ejus a cervice fuerit resectum. Haec

*) Desumta sunt verba illa, quod omnibus notum est, ex Psalm. 37. v. 4.

dum fiunt, Episcopus Conventum coire jubet et Ambrosium ad locum supplicii deducendum advocat atque dum se Ministrum Evangelicum esse fateretur, sub his conditionibus dimittit, ut nullo unquam vitae suae tempore Poloniam ingredi audeat et perpetuo duobus et decem milliariibus ab urbe Cracoviensi distet, si praesentissimum vitae discrimen evitare velit. Quibus conditionibus postquam lubens non minus, quam promptus subscriberet, die 2. Mensis Aug. an. 1721. post sex et decem septimanarum carceres, facta super eo cruce, his verbis eum compellavit: **A b i n p a c e et n o l i p e c c a r e a m p l i u s.** Hoc Ambrosius tanto praestitit lubentius, quanto magis innocenti molestus fuit carcer, in quo ei modico tantum pane vivendum erat. Dabantur quidem ei cibi haud vulgares, sed quia tempus erat Quadragesimae *) et cibi omnes oleo perfunderentur, a quo ille per naturam abhorrebat semper, maluit pane contentus vivere, quam inferre naturae vim aut contrahere morbum haud facile reparandum. Liberatus singulari Dei munere Ambrosius Deum religiosissime celebrabat et quo praestiti beneficii perpetuo recordetur, firmiter apud animum constituit, se a tempore liberationis privatim nunquam alias, quam flexis super terra genibus oraturum, quod eum toto vitae tempore studiosissime observasse omnes norunt, qui eum sive surgentem, sive decumbentem observaverunt. Cracovia in patriam delatus, vix res suas in ordinem redegerat, apud Neczpalenses in I. Comitatu Tburócziensi Ven. Matthiae Augustini k), utilissimo scholae

*) Error hic irrepsit in computandis septimanis, nam si 2. Augusti dimissus est, et 16. septimanis carceres pertulit, oportuit eum tempore Quadragesimae liberum fuisse, cum a 2. Aug. retro numerando ad Pascha usque nonnisi 16. septimanae prodeant. (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t c).

k) Matthias Augustini Nicopolii in I. Comitatu Liptoviensi natus, in diversis patriae scholis, cum primis Sempronii sub Celeb. Deccardo studuit et confirmatis Wittembergae studiis in patria mea apud Neczpalenses primum scholae Rector, dein V. D. M. constitutus, utrobique proluxa cum utilitate laboravit. Nam scholam multis nominibus confusam ad ordinem revocavit et methodum induxit docenti non minus, quam discentibus longe convenientissimam; cujus uti semper recordor, ita me ab ejus institutione multum fructum retulisse palam profiteor. Neczpalino ad ecclesiam Krajnensem et hinc an. 1733. ad Trenchiniensem evocatus, ibidem coetui Evangelico feliciter et cum exstanti emolumento praeest Venerandoque Contubernio Trenchiniensi nomine Senioris moderatur, litterato orbi ex duplici libello, alio de praepa-

Rectori, ibidem ad Ministerium promotus affectus fuit. Vix provinciam Rectoris obire inceperat Ambrosius, ita ad studia ex diversis Hungariae partibus concursabat juvenus, ut vel hinc divinarerent multi, cum in scholis non sine maximo emolumento elaboraturum. Successit pia haec multorum divinatio et lentis progressibus ita fuit aucta, ut adhuc ejus recordentur Thuróczienses. Quod discipulos attinet, etsi vix triennio ejus institutione usi sunt, tamen ita inter tacitos Mnsarum recessus adoleverant, ut omnes fere in viros sanctiori reipublicae utiles evaserint et singulari Dei providentia haud contemnendis conditionibus fuerint admoti *l*). Apud Thuróczienses profecto de Ven. Augustinio et Ambrosio aliorum translato in proverbium abierat, eo tempore ecclesiam Neczpalensem floruisse, cum patres in ea docuissent. Hoc dolebant Thuróczienses vel maxime, quod perutili eorum ministerio diutius perfrui non potuerint. Elaborabat tunc Ven. condam Superintendens Krmannus in editione Bibliorum Bohemicorum, quam uti accuratam procurare conatus est, ita an. 1724. viros Hungariae litteratos requirebat, ut suam quisque symbolam in commune profuturam conferre non dedigneretur. Inter hos opera quoque Ambrosii desiderata fuit, quam tamen cum propter cumulatissimos in schola labores polliceri non posset, cum magna studiosae juventutis jactura ad ecclesiam Varbocensem in partibus Transalbanis sitam consilio et auctoritate Krmanni an. 1724. evocatus erat *m*). Huc singulari Dei providentia delatus sacrisque ordinibus *n*) initiatus, hoc egit studio

ratione ad merem, alio de patientia Slavonice an. 1734. evulgato notus, cui Deus pro sua bonitate vitam longaevam et quicquid porro necessarium est, propitius largiatur, ne quid hac vice de eruditissimo filio Cl. Paulo Augustini, scholae Modrensis Conrectore adjiciam.

l) Tales imprimis erant viri in commune utilissimi: Michael Pohlius, Georgius Jamriska, Paul. Michalovics, Joh. Lani, Jacob. Paulini, Joh. Szarkóczy, Matthias Clement, Jacob. Nicolaides, Joh. Trnkóczy et ipse ego, ne quid de adolescentibus nobili genere natis Justhiis, Beniczkyis, Jeszenszkyis, Zathureczkyis et multo pluribus hac opportunitate percenseam.

m) Hoc mirum erat et cujus oblivisci adhuc non potui, tum ei adlatam esse vocationem, cum nobis discipulis suis exponeret verba Salvatoris: Orate, ne fuga vestra sit hyme Matth. XXIV. 20. non sine omine quodam, cum Ambrosio vocationem acceptante sine mora omnis fere juvenus fuerit dissipata.

n) Absoluto feliciter Dominica III. Adventus in praesentia Superinten-

sissime, ut non tantum puriori doctrina Verbi divini ex praescripto creditum sibi coetum ad vitam aeternam informaret, sed etiam vita ad omnem pietatem conformata exemplum daret valiturum ad posteritatem. Haec dum fiunt, molestias vitae solitariae levaturus ducendae uxori animum adjecit et singulari Dei providentia an. 1725. aetatis suae trigesimo in conjugem duxit nobilem virginem Catharinam Johannis Benedicti, civis et senatoris condam Neosoliensis filiam, et demum fati ita ferentibus, Ven. Superintendentis privignam, omnibus sexus sui virtutibus multo commendatissimam. Felix hoc ei et foecundum, sed non diuturnum satis fuit conjugium. Vix enim septem abierant anni, dum ei suavissima conjuge et quatuor liberorum matre carendum fuisset. Unicus eorum filius Georgius 31. Julii an. 1732. natus rebus humanis interest, ex sententia Ven. patris melioribus litteris dedicatus, quem postquam pia mater peperisset, post evolutos septem dies vitam cum morte commutavit. Me tacente facile est existimare, quantis tunc involutus fuerit difficultatibus. Praeterquam enim quod dilectissima conjuge orbatu fuit, etiam filiulus in cunis vagiens et matre destitutus ita animum ejus adficiebat, ut adflictam sortem suam pro dignitate deplorare non potuerit. Nondum vulnus hoc ad cicatricem usque fuerit perductum, dum acerbiora experiri habuerat necessum. Dum enim ecclesiae Evangelicae in partibus Transalbanis an. 1733. ex sententia Augustissimi condam Imperatoris Caroli VI. adimerentur, eodem anno 21. Mensis Januarii in exilium actus tanto dolebat impensius, quanto videbat magis, se in eas conjici angustias, ex quibus ope humana facile non queat eluctari. Hinc Deo statori rerum nostrarum confisus, antequam ecclesiam desereret, nihil elaborabat diligentius, quam ut auditores suos in agnita semel veritate evangelica confirmaret. Nullus enim abiit dies, quo non pro concione dixerit, gregem suum in fide confirmaturus. Vix in exilium actus erat, fortuna ejus in melius mutabatur, dum in ecclesiam Pritrsdiensem, non minus I. Nobilitatis, quam totius populi et reliquarum ecclesiarum consensu vocaretur. Postquam enim ex ecclesiis Transalbanis, quarum septem erant, in exilium pelleren-

dentis Krmanni sermone exploratorio, tertio post die in eadem ecclesia Varbozensi, praesentibus Rev. viris Joh. Petko Pritrsdiensi, Joh. Neográdi Brezoviensi et Michaele Krmann Krajnensi Ministris jam in Domino quiescentibus, inauguratus est.

tur Ministri Evangelici, Augustissimus Imperator Carolus VI. pro ea, qua erat, benignitate, non tantum locum pro aedificando Oratorio in Pritsd designari o), sed etiam duos V. D. Ministros ad facienda sacra Evangelica vocari clementissime indulsit. Hinc Ambrosius omnium, qui in partem curarum veniebant, sententia, unus omnium maxime utilis et idoneus existimabatur, qui tam numeroso gregi praeponeretur Pastor, Venerando condam Samuele Jesztrebini p) collega usus. Quanta cum utilitate ibidem laboraverit et quantas molestias devorare fuerit coactus, percensere operosum foret et silere nullum est melioris famae dispendium. De diligentia enim et felicibus in ministerio progressibus vel hinc arbitreris, quod dum in partibus Transalbanis ageret, multae eaeque celebriores ecclesiae operam ejus certatim efflagitaverint. Nam quod omnibus fere notum esse poterit, Trenchinienses q), Marothenses r)

o) Id evenit 27. Maji an. 1733. non sine prolixa conturbati populi exultatione, quod Deus jubeat esse perpetuum.

p) Samuel Jesztrebini patre Rev. Jesztrebini, matre Susanna Telkonius an. 1698. natus, studuit Cremnicii, Schemnicii, Posenii atque postremo Jenae, ubi confirmatis studiis in patriam redux an. 1725. mense Decembri ad ecclesiam Pritsrdiensem vocatus in eadem feliciter annis XIV. laboravit. In conjugem duxerat Juditham Benedicti, Ven. condam Ephraimi Nostitii Neosoliensis Germ. Pastoris relictam viduam et jam tum Summe Ven. Superintendentis Krmanni privignam, forma et moribus praestantem. Genuit filios duos, Samuelem et Paulum *) et unicam filiam. Mortuus est 27. Febr. 1740. honestissimo funere 3. Martii elatus. Ante domum luctus Summe Rev. Paulus Jacobaei Slavorum Modrensiensis Pastor multo dignissimus ex Matth. XXV. 21. in templo autem Ven. collega ejus Georg. Jamriska frater meus carissimus ex Apoc. III. 10—12. pro concione dixerunt.

*) Paulus 4. vel 5. annorum puer mortuus 1744. (Ugy látzik, más valakinek jegyzete).

q) Trenchinii 18. Jan. an. 1732. in funere Rev. condam Matthiae Pruni Ministri ejusdem ecclesiae optime meriti sacra faciebat. Ambrosius, ab I. Patronatu successor Prunii denominatus, omnibus modis detinebatur et quamvis spem aliquam iis fecerit, tamen a Varboczensibus et Ven. Contubernio dimissus non est.

r) Marothenses non tantum 15. Dec. an. 1732., sed etiam in locum Ven. condam viri Joh. Micsinszkii de re litteraria praeclarissime meriti, pie demortui, 21. Jan. 1733. eodem die, quo in exilium actus fuit, Ambrosium evocabant; sed priorem vocationem propter imminens ecclesiae Varboczensi periculum, aliam ex sententia Ill. Lib. Baronis Christiani Calisii et Spect. Dom. Pauli Jeszenák modeste deprecatus est.

et Aszódenses s) eum ad obeundam Pastoris provinciam devocabant, Varboczenses tamen et demum Pritrsdienses ita ei adhaeserant, ut extrema quaeque experiri, quam ejus ministerio carere maluerint. Post molestum viduitatis fere triennium, ducendae iterum uxori animum adjecit et quidem raro admodum, s: d felici, quod eventus probavit, instituto. Dum enim amici, quibus ille familiarissime usus est, lectissimam ei virginem Schemniciensem Susannam Klieberin impensius commendarent eamque a pietate et modestia, nec sine ratione dilaudarent omnes, etsi nunquam in vita eam viderit, tot tantisque locorum intervallis ab ea disjunctus, tamen eam absens apud Summe Rev. Hruskoviczium per Andream Ambrosi t) mense Januario an. 1735. sibi desponsari sinit et non prius consociandae sibi virginis copiam videndi obtinet, quam ei in ecclesia Pritrsdiensi 12. Febr. anno jam dicto sacro matrimonii foedere jungeretur. Rarum hoc erat initi conjugii exemplum, sed ita felix, ut nihil ei praeter diurnitatem defuerit amplius. Praeterquam enim quod concors fuit et ultra, quam quis existimare queat, pacatum; etiam liberali foecunditate se non parum commendabat, dum intra annos decem et quod excurrit, quatuor filiis, Paulo, Daniele, Matthia et Michaele, adhaec unica filia, Anna, gentem suam auxerint. Hoc divina providentia factum esse arbitramur, quod reliquis beate in Domino mortuis post superatam feliciter contagionem Daniel Csetnekini die 8. Jun. an. 1740. natus

s) Vix haec commode fuerunt conscripta, Spect. condam Dom. Joh. Podmaniczky ad regendam ecclesiam Aszódiensem 13. Mart. an. 1733. eum invitabat, sed ab iis, quos proxime cum praefatione honoris commemoravi, iterum detentus est.

t) Andreas Ambrosi apud Arvenses in oppido Alsó-Kubin nobili genere natus in scholis Lestinensi Elia Petroviczio, Késmárkiensi Georg. Buchholczio et Posoniensi Cl. Beerio praeceptoribus usus, dignus habebatur, qui scholae primo Varboczensi, dein loci articularis Pritrsdiensis praeficeretur, ubi magna cum utilitate commissae sibi juventuti moderabatur, usquedum divino arbitrio ad Podlusan evocatus apud Ill. Zayorum gentem aulicus concionator an. 1745. constitueretur. Jam vir mei amantissimus, dum haec scribuntur, in Nitra Szombathely sacris operatur, cui mecum omnes boni fata porro propitia et quicquid est felicitatis ex animo comprecantur. Ex Nitra-Szerdahely vocatus an. 1759. ad N.-Palugyam, ubi circa an. 1770. apoplexia decessit. (Az utolsó pont más valakinek jegyzete lehet).

et filiola Anna supersint, solatia moestissimae matri, ut divinamus, conciliaturi. Annus erat 1738., dum Ambrosius fatis functo Ven. Superintendente Antonio directionem ecclesiae Csetnekiensis susciperet, ex ecclesia Pritrsdiensi 17. mensis Sept. felicibus auspiciis evocatus. Difficiles admodum in dimittendo eo fuerant Pritrsdenses; sed Ambrosius communicato cum superioribus negotio, cum non minus Summe Rev. Mohlium Superintendentem, quam Spect. Dom. Paulum Jeszenák Patronum primum, meritis in rem Evangelicam et universam patriam conspicuum, in dimissionem sui consentire animadverteret, operam suam Csetnekiensibus addixit, non sine maximo Pritrsdensium dolore. Hoc vel hinc facile colligi potest, quod mortuo Rev. condam Jesztrebinio ejusdem ecclesiae Ministro, Ambrosium Csetnekino 13. Martii an. 1739. revocarint iterum. Csetnekinum 2. Oct. an. 1738. delatus non tantum in ecclesia cum insigni utilitate versatus est, sed etiam Ven. Contubernio in Conventu Ribniczensi adscitus hoc egit, quod leges almae Fraternitatis postulabant, postquam eum sibi locum erudita oratione de primordiis et origine Contuberniorum Evangelicorum in Hungaria vindicavisset. Vix annum apud Csetnekienses exegerat, dum singulari permissione divina oppidum inclinante jam an. 1739. peste corriperebatur. Multum hic sudavit Ambrosius, cum non tantum sanis adstiterit, sed etiam infectis operam suam commoda- verit, quoties id ipsum necessitas et usus aut officii ratio videbatur postulare. Tantum enim abest, ut invalescente quoque contagione gregem sibi creditum deseruerit: ut potius Aronis adinstar in medio populi versaretur et hinc precibus, illinc monitionibus iustauraret, quicquid in deterius inclinare advertebat. Nec sine utilitate ibat, quicquid in commoda Csetnekiensium cum ratione destinabatur. Praeterquam enim quod toti populo intra oppidi pomoeria concluso ex praescripto I. Comitatus vivendum fuit: etiam sacra ita instituebantur, ut nec infectis defuerit, quod ad procurandam hujus et futurae vitae salutem videbatur pertinere. Hinc fiebat, ut nec inficerentur multi, nec cessarent Deum causa liberationis constanter deprecari. Certe etsi in scholam quoque, cui t. t. cum laude moderabatur Cl. Jacobus Tubel, malum hoc pertigerit; tantum tamen abest, ut praeter unicum adolescentem mortuus fuerit quisquam, ut potius inter spem et metum constituti conservarentur omnes, qui sive ecclesiae inserviebant, sive studiis ibidem opera-

bantur. Unde cessante penitus malo singulari Dei munere et I. Comitatus sententia in libertatem vindicati, hoc egerunt studiosissime, ut Deo debitas gratias publice contestentur. Hinc Ambrosius an. 1740. diem annunciatione b. virginis insignem solemnitati huic dedicavit et cum universo coetu post utilissimam verbi praedicationem „Te Deum laudamus“ decantando, non tantum Deo liberatori gratias egit, sed etiam populum ad pietatem hortatus est, singularem Dei benevolentiam sibi et toti coetui praestitam pro dignitate aestimaturus, ne quid de ijs adjiciam, quae occasione peccatis cum praesentissima utilitate ad ordinem fuerunt constituta. Plane his temporibus in negotio eligendi Superintendentis elaboratum fuit. Postquam enim Samuel Antoni, venerabile et post fata nomen, rebus humanis fuisset exemptus, Spect. Dom. Thomas Szirmay de Szirma u), I. Districtus Cis- et Trans-Tibiscani t. t. Supremus Inspector et omnes ii, qui in partem curarum veniebant, id sibi negotii datum esse crediderunt, ut Deo rebus nostris propitio vigore Resolutionis Caesareo-Regiae anni 1734. alter eligatur Superintendens, jacturam morte Antonii conciliatam redintegraturus. Dicitur non potest, quam difficulter cesserit negotium publicae Ecclesiarum Evangelicarum saluti dedicatum. Erant enim inter Lib. Regiasque Civitates nonnullae, quae in diversam ibant sententiam et destinationes I. Districtus non parum retardabant: cessit tamen

u) Thomas Szirmay, magni illius Nicolai de Szirma filius, bello, quod adversus Gallum an. 1742. in Bohemia gestum fuit, arbitrio Augustissimae Reginae Hung. MARIAE THERESIAE unius Legionis constitutus Colonelus, etsi ad Pragam insigni cum laude versatus fuerit: tamen Ambergae in Palatinatu febris ardente correptus 9. Jul. an. 1743. cum magno multorum dolore mortuus beate est, 26. ejusdem mensis Alttorfini sepultus. Ante obitum suum haud vulgarem pecuniae summam Universitati Alttorfiensi et civibus Hungaris eo studiorum causa venturis pia legatione decrevit et ut ibi sepeliatur, ultima voluntate constituit. Hinc funus dicto die magna solennitate apparabatur, cui praeter insignem Officialium Augustissimae Reginae Mariae Theresiae frequentiam etiam amplissimus Senatus Norimbergensis interfuit, De his videri possunt Carmina Academiae Alttorfiensis et Officialium Hungarorum in obitum ejus consignata, ubi proluxior vitae ejus delineatio legi potest. Reliquit unicam filiam, primum Stephani de Radván, jam Spect. Dom. Andreae Pothurnyay de eadem carissimam conjugem. Szirmayo nostro in officio Supremi Inspectoris successit Spect. Dom. Gregorius Horváth-Staasith de Grádecz in Conventu Topschensi 17. Febr. an. 1745. celebrato electus. Feliciter!

divinae providentiae humanum consilium et procedente tempore, communibus I. Districtus et Lib. Regiarumque Civitatum suffragiis ex IV. Candidatis r) Georgius Ambrosius 16. Febr. an. 1741. praesentibus omnium partium internuntiis in ecclesia Giraltensi x) pluribus suffragiis electus fuit Superintendens. Hoc dum ei Supremus I. Districtus Inspector non tantum per litteras, sed etiam per internuntios y) ex conventu Giraltensi redeuntes nunciaret, humanissime deprecabatur et se tanto muneri cum utilitate obeundo non esse parem significabat: nihil tamen valebat qualiscunque excusatio, sed ex communi I. Patronatus sententia dies 21. Martii solenni inaugurationi in ecclesia Topschensi peragenda destinatus fuit, quae ad hanc rem pertinere videbantur, terminaturus. Nec aliter evenit, quam ii, qui in partem curarum veniebant, definiverunt. Postquam enim singulari Dei munere fortunatus ille adesset dies, non tantum ex utroque ordine confluerunt viri, sacrum hoc ecclesiis Evangelicis negotium adulto more continuaturi; sed etiam ex animi sententia perfecerunt omnia, quae occasione inaugurationis ritu apostolico perficiendae observari consueverunt. Primum enim et ante omnia, moderatore Cl. viro Georgio Gotthard z); scholae Topschensis Rectore multo fidelissimo, devotae praemittebantur cantiones, Deo unico rerum sacrarum statori in laudes comparatae, nec defuit quidquam, quod ex praescripto Musicorum ad pietatem

r) Tales erant Ven. Elias Fischerus Késmárkiensis, Andreas Fabritius Nagy-Szlabossensis, Michael Glosz Margonensis et Georgius Ambrosius Csetnekiensis V. D. M. multo meritissimi.

x) Ex sententia Domini Supremi Inspectoris in Conventu Eperjesiensi 26. Jan. an. 1741. celebrato eligendus erat Superintendens, sed cum eae Civitates, quae diversum sentiebant, haud obscuram futurae unionis spem polliceri viderentur, omnium ibidem congregatorum sententia ad diem 16. Febr. dilata fuit novi Superintendentis electio.

y) Intererant Conventui Giraltensi ex Ven. Contubernio nostro Gömöriensi praeter me Ven. Paulus Major V. D. M. Berzethinensis, et ex ordine politico Perill. Dom. Casparus Szontagh ecclesiarum Inspector.

z) Georg. Gotthard patria Topschensis, arbitrio parentum studiis dedicatus, postquam fundamenta eorum haud vulgaria in patria jecisset, Késmárkini eadem percoluit, Georgii Bohus institutione usus. Tandem Posonium delatus Cl. Bohuradt et Cl. Berium duces secutus est eorumque consilio Halis studia confirmavit, atque illinc redux primum herulis Ill. Baronis Christiani Calisii moderabatur, dein in patria Conrector, tandem an. 1737. mortuo Cl. Casparo Müllero, Rector scholae Topschensis constitutus raro admo-

et elegantiam videbatur pertinere. Dein succedebat sermo sacer opera Ven. M. Andreae Weinerti *aa)* Eperjesiensium Pastoris multo dignissimi ex I. Tim. III, 1—2. seq. institutus, in quo non tantum Superintendentem in doctrina, moribus et vita inculpatum toti auditorio non minus docte, quam eleganter exhibuit, sed etiam summo magistratui gloriose imperanti felicitatem cum perpetuitate et arma victricia communi nomine comprecatus fuit. Tandem Summe Rev. Andreas Fabritius *bb)*, ecclesiae Nagy-Szlabossensis Pastor et Ven. Contubernii Gömöriensis Senior, comitantibus eum XXVI. Ministris, ad aram procedebat et postquam flexis genibus :

dum exemplo in schola patria cum prolixissima juventutis utilitate, quod experiendo didici, praeest, eo nomine felix, quod revocata ad ordinem schola Cl. Johannem Gotthard fratrualem suum et Joh. Brosz collegas nactus sit, pari fidelitate adtributas sibi partes procurantes, quibus fata vel maxime propitia et constantem valetudinem omnes mecum comprecantur.

aa) Andreas Weinert Leutschoviae non tantum natus, sed etiam ut quampulurimum educatus, sententia majorum suorum Wittembergae apud Saxones studia amplificavit et Disputatione, quam an. 1722. de cautelis circa id, quod in Religione ac Theologia Practicum dicitur, conscripserat, hoc meruit, ut procedente demum tempore Magister renunciaretur. In patriam redux primum Leutschoviae Conrectoris, dein scholae Rectoris officio defunctus fuit et postremo Eperjesinum evocatus, an. 1729. ibidem adhuc apud I. nationem Germanicam Pastoris provinciam magna cum industria tuetur, vir omnium confessione eruditus et laborum longe patiensissimus, ne quid de Cl. Samuele Weinerto, fratre ejus germano, Rectore Leutschoviensi meritissimo adjiciam.

bb) Facili admodum negotio unam aliamque decuriam litteratorum Fabriciorum assignarem, si ad institutum meum pertinere videretur. Nam ut sciat posteritas, in nostro tantum Contubernio floruerunt sequentes :

Georgius Fabritius an. 1594. Alnoviensis Pastor et Contubernii Senior.

Andreas Fabritius an. 1595. ecclesiae Köviniensis Minister.

Andreas Fabritius an. 1604. Csetnekiensis Pastor et Contubernii Senior.

Andreas Fabritius an. 1609. ecclesiae Várallyensis Pastor.

Michael Fabritius an. 1620. Csetnekiensis Diaconus atque demum ecclesiae Geczelfalvensis an. 1636. Minister et Contubernii Orator.

Daniel Fabritius an. 1631. ecclesiae Felső-Sajóiensis Minister.

Paulus Fabritius an. 1652. ecclesiae Köviniensis Pastor.

Matthias Fabritius an. 1666. ecclesiae Ribnicensis Ecclesiastes.

Johannes Fabritius an. 1707. ecclesiae Köviniensis Minister, Ven. Contubernii Notarius et demum Senior, Taxoviae mortuus.

Samuel Fabritius prioris frajer Bradnensis V. D. Minister.

Veni Sancte Spiritus etc. fuisset decantatum, erudite, nec sine festivis leporibus, pro more suo, ex I. Tim. III. 13. praefatus, Ambrosium ritu apostolico devotis precibus et impositione manuum confirmabat et ad obeundum feliciter officium jurejurando obstringebat, omnibus, quotquot aderant, felicia quaeque comprecantibus. Postremo ego, ex sententia Superiorum, oratione latina, Deo, clementissimae Reginae MARIAE THERESIAE, Inclyto Patronatui et omnibus in hac solennitate congregatis ad aram gratias egi

Sed mihi hac vice ea, qua fieri potest, brevitate describendus est Andreas Fabritius, ecclesiae Nagy-Szlabossiensis Minister. Natus hic est in I. Comitatu Zoliensi, pago Felső-Micsina, an. 1658. patre provido viro Adamo Kovács, matre Catharina Abrahamides, a Ministro Evangelico Rev. Joh. Szulovino sacro baptismate initiatus. Prima studiorum fundamenta in patria jecit, tandem a matre vidua Neosolium et hinc Carponam expeditus, institutione Martini Dubovszkii per annos duos usus est. Utroque parente orbatus cum fratre jam adultiore Kis-Zellőinum venit et translato ibidem biennio Csetnekinum delatus est, ubi fidelibus praeceptionibus Eliae Sartorii haud vulgariter se profecisse saepesaepius recordabatur. Csetnekino Kis-Zellőinum rediit, fidelitate praeceptoris sui Andreae Suhajda invitatus, sed paucum post tempus Cassoviam concessit, Johanni Fabritio, ecclesiae Slavonicae Ministro et scholae Rectori adhaesurus; sed cum propter tumultus bellicos diutius ibidem morari non posset, Neosolium delatus M. Joh. Burium et Joh. Pflarik duces sectatus est. Hic etsi nihil defuerit Fabritio: tamen singulari studio linguae hungaricae excitatus continere se non potuit, quin Rosnaviam veniret, sub Michaele Mischoviczio studiis operaturus. Hic ita se gessit, ut omnium expectationi responderet, cujus adhuc viva sunt testimonia. Ad oras exteras transiturus diversitate vocationum impeditus fuit. Inter multas enim vocationes directionem scholae Alnoviensis invitatus fere anno aetatis XXI. suscepit, cum praesentissimo fructu per annos quinque continuatam. Hinc cum Ven. socero suo Andrea Sextio in exilium pulsus ad regendam scholam Csetnekiensem devocatus fuit, ubi quanta cum dexteritate laboraverit, cum rei testimonia praesto sint, non opus est verbis. Quod enim litteratissimus condam vir Elias Sartorius multum adhuc puero praedixerat, eum in schola Csetnekiensi suum futurum successorem, id feliciter evenisse fortunatus admodum comprobavit eventus. Tandem postquam XVII. vocationes sibi oblatas modestissime recusavisset, iteratam Nagy-Szlabossensium ad Ministerium vocationem acceptavit et annum, quo ad obeundum munus ordinatus est, hoc expressit Chronostico:

ChRiste noVo CVpIo, praesens DeVs esto MInistro.

Initiatus ita adtributas sibi partes administravit, ut non tantum ad diversas ecclesias fuerit vocatus, sed etiam in Ven. Contubernio Oratoris et Notarii officium per complures annos magna omni roboratione sustinuerit, anno

ce) et quicquid est felicitatis, non minus religiose, quam conceptis verbis precatus sum, Rev. Jacobo Solkovio *dd*), Ministro Töpschensi, post recitatam ad altare precationem populum cum usitata benedictione dimittente. Confectis feliciter rebus Inc. domus Szontaghiana *ee*), quae Töpschae est, tanta cum humanitate et benevolentia hospites exceperit, ut ingrati simus omnes, nisi praestitae nobis liberalitatis cum deditissima grati animi significatione recordemur ad posteritatem. Ita confirmatus et sequenti statim die ministerio Ven. condam Thomae Kmetonii *ff*) Köviniensium Pastoris

demum 1737. communi sententia Senior Fratrum constitutus. Neque hic praeter diuturniorem usuram defuit ei quicquam. Anno enim 1751. praeclare de rebus Ven. Contubernii meritis, propter insignem corporis non minus, quam animi imbecillitatem, ecclesiae, cui per multos annos cum laude et commendatione nominis praefuit, opera vicini sui Rev. Joh. Ruffini Ochtiensium Ministri, valedixit et officium Senioris Ven. Contubernio resignavit, vir in commune multo utilissimus, poeta, dum valuit, promptus, facilis et ultra, quam reris, planus, atque adeo fortuna meliore multo dignissimus. Huic omnes boni mecum mentem quietam et fata magis propitia comprecantur.

ce) Videri potest Oratio mea Eucharistica, ipso die inaugurationis Ambrosianae publice recitata. Prodiit an. 1745. in IV.

dd) Jacobus Sölkovius patrem ejusdem nominis, senatorem condam Kesmarkiensem, matrem Annam Philippi venerabatur et studiis dedicatus informatione Cl. Joh. Nöghaidae et Cl. Geor. Böhus in patria usus fuit. Multum studia ejus debilitas oculorum retardavit. Bratislaviam delatus choro inservivit et quantum ejus fieri potuit, in studiis excolendis juxta cum aliis Kúpfenderum ducem sectatus est. Wittemberga, quo concesserat, reversus, in patria officio Conrectoris per annos 12 defunctus fuit. An. 1729. Mendhardivillae in Scepusio Minister constitutus ibidem ad an. 1731. laboravit, quo anno arbitrio Töpschensium delatus Töpscham, dum haec scribuntur, adhuc superest, cum filio ejusdem nominis, viro erudito, in schola Késmarkiensium cum laude docente, non confundendus.

ee) Caspar Szontagh is est cum nobilissima conjuge sua Maria nata Zimmermann, nobile par conjugum, non minus gloria majorum, quam pietate et integritate religionis commendatum et quod ad laudem eorum scribi debet, Ministerii longe amantissimum.

ff) Thomas Kmetoni Vetusolii an. 1691. patre ejusdem nominis, matre Elisabetha Liptay natus, in patria institutione Joh. Gretschi usus an. 1708. Fülekinum concessit et breve post tempus Rosnaviae Michaelem Mischoviczium nomine praeceptoris coluit ejusque opera ad cognitionem poeseos perductus est. Tandem Neosolii sub Matthia Belio, Paulo Simonide et Joh. Major, Jaurini sub Martino Vásonyi ita diligenter studiis operatus est, ut eidem Jaurini non tantum officium Conrectoris senatusconsulto fuerit collatum, sed

et Ven. Contubernii nostri Consenioris, ecclesiae Csetnekiensi praesentatus Superintendens, nihil egit studiosius, quam ut Deo, conscientiae et expectationi bonorum ex aequo respondisse videatur. Hinc primum in eo diligentissime elaboravit, ut Lib. Regiaeque Civitates Inc. Districtui arctiori quadam ratione uniantur et id, quod ad procurandas res Evangelicorum pertinere videbatur, communi utriusque partis sententia decernatur. Erant quidem non pauci utriusque ordinis viri, qui in concilianda hac unione studiosissime elaborarunt *gg*): nemo tamen Ambrosio sive operosius, sive utilius, cum non prius sibi quiescendum putarit, quam negotium hoc cum

etiam liberalitate Jaurinensium an. 1719. confirmandorum studiorum causa Jenam dimitteretur. Hic viros toto orbe celeberrimos, Foretschium, Dantzium et Buddeum duces sectatus est. An. 1722. redux ad ecclesiam Komlosiensem vocabatur, Deus tamen, dum in itinere jam esset constitutus, consilia hominum intervertit eumque nihil talis cogitantem anno eodem 14 Sept. ecclesiae Köviniensi praefecit, in qua annos viginti et quinque magna cum dexteritate laboravit. Conjugium inierat cum vidua Venerandi et post fata viri Joh. Major, Rozina Wozár, optimorum filiorum matre an. 1724. atque ex divina benedictione quatuor suscepit liberos, qui tamen omnes optimum patrem in recipienda aeternitate antegressi sunt. Hinc destitutus liberis omnem in eo collocavit operam, ut privignos suos, Paulum, Andream et Johannem Major, ad omnem pietatem et nominis sui decus, magna cum fidelitate educaret, quod ita omnium confessione praestitit, ut eum haud vulgarem optimi patris laudem in resurrectione fidelium reportaturum cõfidamus. Privignam suam ad omnem honestatem educatam Ven. Joh. Glosio Csõváriensium Ministro fidelissimo elocavit, quo genere, dum viveret Kmetonius, saepe et multum fuit delectatus. Vir erat eruditus, multae lectionis et in commune utilis. Hinc in Ven. quoque Contubernio nostro Gömöriensi non tantum Vice-Nota-ii, Oratoris, sed etiam Consenioris officio magna cum dexteritate et omnium adprobatione functus fuit. Tandem postquam annos LVI. complevisset, post diuturnum et molestum sibi morbum 3. Nov. an. 1747. stando fere animam Salvatori suo reddidit, die 7. ejusdem mensis in magna hominum frequentia tumulo illatus. Occasione funeris primum ego ex textu, quem sibi vivus delegerat, Psalm. LXXIII. 25. 26., dein Rev. Joh. Strigner t. t. Ratkoviensium Minister ex Mat. XXV. 23. pro concione dixit, quamvis beatus Symbolum suum Joh. XX. 28. eadem opportunitate explicandum voluerit.

gg) Ex parte I. Districtus, praeter Spect. Dom. Supremum Inspectorem Gregorium Horváth Stansith de Gradecz, in concilianda unione elaboravit Spect. Dom. Thomas Dessõffi de Csernek, Samuel senior Draskótzí de eadem, Adamus Zimmermann, et reliqui in diversis I. Comitibus rei Evangelicae Inspectores. Ex parte autem Lib. Reg. Civitatum Perillustr. Domi-

totius I. Districtus utilitate conjunctum felici eventu et communibus utriusque partis suffragiis fuerit terminatum *hh*). Dum haec fiunt, visitationem ecclesiarum sibi subjectarum instituere consultum esse judicavit, cum anni aberint viginti et amplius, ex quo nulla ecclesiarum visitatio fuerit instituta. Dicitur non potest, quam operosa cum diligentia officio hoc fuerit defunctus. Sive enim populus fuerat informandus, sive examinanda juvenus, sive collaudandus aut corrigendus Minister: ita exequutus est, ut nemo quidquam desiderare potuerit amplius. Ita enim omnia praeclare fecit, ut omnium adprobatione rebus consilia, consiliis facta, factis successus responderint. Quod vitam ejus adinet, ita eam egit, ut nullam non virtutem sibi reddiderit familiarem, et imprimis pietatem, indomitam laborum patientiam et prolixam in hospites benevolentiam ita sibi habuit commendatam, ut inhumanus ille sit et a virtute prorsus alienus, qui hanc ei laudem non minus lubenter, quam prolixè admetiatur. De laboribus, quos ampliandae gloriae divinae causa promptus sustinuit, scrupulosius recognoscere opus non est. Quicquid enim a publicis functionibus temporis erat reliquum, conscribendis idiomate Slavonico libris impendebat. Profecto libelli, quos magno labore et non minori cum utilitate evulgavit *ii*), nomen ejus multo honestissimum ab oblivione vindicabunt, ut de eo non sine ratione dici queat:

nus Matthaeus Pitschke excell. Med. Doctor Joh. Müllerer et communi omnium Civitatum nomine excell. Doctor Joh. Adam. Rajman.

hh) Testis hujus est instrumentum Coalitionis an. 1743. mense Majo elaboratum et subscriptionibus non minus I. Patronatus, quam Ven. Ministerii confirmatum. Hujus unicum exemplar Inclytus Districtus, aliud Lib. Regiaeque Civitates venturae posteritatis causa adservant. Feliciter! Quod videtis in Miscellaneis meis desumptum ex protocollo Fraternalitatis Gömöriensis p. 27. et seqq. . .

ii) Conscripsit Ambrosius libellos multo utilissimos, ut sequuntur:

1) Dvoj Katechismus Včenj Krestanského pro mládež wetšj y menšj s pripogenjm knižečky modlitebné. Prodiit an. 1738. in 12.

2) Gruntovaj Wysvetlenj Katechismu s pripogenjm reči Pisma Š. potesugjcyeh. Prodiit eodem anno eadem forma.

3) Rozebránj částek nekterych Katechismu D. M. Luthera. Prodiit an. 1745. in 12.

4) Pripawa k smrti s pripogenjm ginyeh vžitečnych knižeček. 1742. 8

5) Gadro Krestanského Včenj. Prodiit 1745. in 4.

Ambrosii durabit honos, nec nominis unquam
Deficient monumenta sacri *kk*).

Ad haec, quod Reusnerus de Christiano III. rege Daniae memoriae prodidit, domum ejus fuisse templum Spiritus sancti, regulam temperantiae, honestatis exemplar, Musarum chorum, Theologorum sacrarium, pauperum mensam, praesidium miserorum *ll*), hoc de convictu Ambrosii ex vero dici potest. Sed illa est doctorum virorum conditio, ut dum optime in commune mereri videntur, summus ille vitae arbiter, Deus, arcano suo consilio iis imperet, ut quanto cyus aut peragant fabulam, aut ante ludorum missionem e stadio discedere teneantur. Eadem fata Ambrosius noster experiri habuit necessum. Dum enim et inclaresceret maxime, et de coetu puriori non minus praedicando, quam scriptis ad posteritatem libellis, unus omnium studiosissime mereretur, praeter omnem expectationem, maturam vitam cum morte immatura commutavit. Vix enim post generalem Conventum Ven. Contubernii Gõmöriensis 22. Jun. an. 1746. in ecclesia Bisztrensi celebratum, septem abierant dies, cum Ven. condam Ambrosius, absolutis feriis Petri et Pauli in filiali sacris, altero statim die doloribus gutturis, quos inflammationem medici appellare consueverunt, divexari coepit. Hoc malum opinione citius ita auctum est, ut per quinque fere dies neque cibo, neque potu, etsi maxime vellet, uti potuerit, frustra adhibitis omnibus, quae ad depellendum malum excogitari poterant, medicamentis. Sexto demum die, cum et phlegma egereret, et cibo aliquantum reficeretur, atque adeo indubiam recuperandae pristinae valetudinis spem omnibus facere videretur, praeter omnem opinionem indicia malignae febris apparuerunt, quod malum, virum hunc robustum et vegetum satis, usque adeo prostravit, ut se in lectum componere habuerit necessum. Non diu acrior hic morbi impetus perdurabat, sed tanto remisit citius, quanto magis et praeter expectationem incubuerat. Hoc dum fieret, Ambrosius, qui extrema sibi imminere haud incogitate existimabat, uti olim semper, ita hoc imprimis tempore, de aeternitate meditari, auditores, qui magno numero confluerant, verbis et exemplo ad pietatem hortari, moestos erigere et nonnisi de gaudio fidelibus in vita aeterna prae-

kk) Confer. Cortesius in Appendicibus Bonfinis p. 913.

ll) Vid. Eliae Reusneri opus Geneal. Cathol. p. 362.

parato, loqui volebat atque, quicquid erat temporis reliquum, religiosis precationibus dedicabat. Testes hujus omni exceptione majores sunt, praeter multos alios, saepe jam laudatus Fabritius, Ven. Contubernii nostri Senior et Ven. Jacobus Tubel *mm*), jure vicinitatis morituro adstans et omnibus Ministri Evangelici partibus egregie perfunctus. Dum ita ad coelestia praepararetur, satis alioquin jam prius praeparatus Ambrosius an. 1746. die 5. mensis Julii, hora nona vespertina, inter religiosas fidelium preces, annos duos et quinquaginta natus, vitam cum morte commutavit, postquam Ministerio in diversis locis annis XXIV defunctus, officio Superintendentis annis quinque et quod excurrit, cum exstanti utilitate praefuisset, vir omnium sententia, qui jacturam hanc ex aequo aestimare didicerunt, multo longiore vita dignissimus. Die sexta Julii corpus exanime in magno lugentis populi concursu ad diem funeri destinandum sacrario templi illatum fuit. Hac occasione Ven. Senior noster Fabricius, opportunitate verborum: Con-

mm) Jacobus Tubel Szakoleae an. 1706. natus, patre ejusdem nominis, matre Elisabetha Szedlaczek, primis pueritiae annis Sárosini et Cibinii educabatur, ubi positis meliorum litterarum fundamentis Csetnekinum delatus est, ibidemque integrum quinquennium exegit, fidelissima Cl. quondam viri Petri Pauli Lendvay institutione usus, cujus in se merita adhuc cum proluxa honoris praefatione praedicare solet. Hinc an. 1728. Késmárkinum commigravit et per Cl. Georgium Buchholtzium, qui scholae praeerat, nomine praeceptoris venerabatur. Hujus consilio confirmatorum studiorum gratia Wittembergam concessit et in omni studiorum genere viros celeberrimos, qui ibidem claruerunt, duces sectatus est. Ab exteris feliciter redux an. 1734. per annum et quod excurrit paedagogum egit et hoc nomine Bartpham vocatus semestre in privato docuit. Tandem an. 1735. Cl. Joh. Szakolezay, Rectore Csetnekiensi, Taxoviam ad obeundum Ministerium discedente apud Csetnekienses scholae Rector constitutus ita in officio sibi commisso per annos novem versatus est, ut optarint eidem multi perpetuum in schola magistrum, nisi Deo alias placuisset. Anno enim 1744. ad regendam ecclesiam Roslosnensem vocatus fuit et post annum Ven. condam Samueli Bubenkio, Ochtinensium Ministro, successor datus, atque tandem mortuo Ambrosio eidem successus fuit. Hanc ille provinciam uti acceptavit, ita adhuc Deo propitio non minori cum diligentia, quam fide tuetur, vir egregie doctus, meliorum litterarum et emendatae latinitatis non minus peritus, quam tenax et quod eum non parum commendat, ad omnem modestiam compositus, mei et omnium bonorum longe studiosissimus et longe constantiore valetudine, quam nunc utitur, dignus.

summatum est, beate quiescentem Ambrosium officia pietatis, Ministerii et vitae feliciter consummasse demonstravit, postquam de more veterum mortuos vario florum genere decorandi, prolixè fuisset praefatus. Solennior funeris deductio ex sententia eorum, quorum intererat, ad diem 26. Julii constituta fuit, quod supremum officii munus in maxima et propemodum inusitata virorum utriusque ordinis et populi frequentia duplici sermone, uti merebatur, Hungarico alio, alio Slavonico exsolvebatur *nn*), reliquis, quotquot aderant, non tam verbis, quam lacrymis Ven. Superattendenti parentantibus, ne quid de cantu decenti et ad omnem luctum composito adjiciam *oo*). In sacrario templi Csetnekiensis exanime Ambrosii corpus ritu christiano contumulatum est, laetam Salvatoris sui sententiam in resurrectione mortuorum expectaturum. Nos uti jacuram sanctiori reipublicae Evangelicae morte Ambrosii conciliatam adhuc dolemus, si dedoleri possit unquam: ita quod lapidi emortuali Petri Bembi Cardinalis inscriptum fuit, id nos Ambrosio epitaphii loco non desultoria animi levitate, sed sensu veritatis inducti sequenturae posteritatis gratia adscribimus:

Hic jacet exemplar vitae omni labe carentis
Summa jacet summa hic cum pietate fides *pp*).

Elias Fischerus.

Si celeberrimo Gabrieli Wilhelmo Göttenio Pastori apud Hildesheimenses multo fidelissimo in vitio positum non fuit, quod vi-

nn) Qui Ven. quondam Antonio Superintendenti ex sententia Superiorum occasioe funeris parentando suam testati sunt pietatem: ii rursus in exornando funere Ambrosii arcana quadam Dei dispositione ex arbitrio majorum coiverunt. Hungarice enim ex Esai XXXVIII. v. 12. magno, ut solet, cum fructu pro concione dixit Ven. Andreas Wietoris Kun Taploczensis Pastor t. t. Contubernii Orator, Slavonice vero ego, uti voluit beate defunctus, ex 2. Timoth. IV. 8. 9. verba feci.

oo) Moderabatur choro praestantissimus vir Adamus Fabritius, prius Kraszkoviensis, jam dum haec scribuntur Nagy-Szlabosensis scholae Rector, vir mea sententia ulteriori fortuna dignus. Addebat luctui non parum duplex cantio opera laudati jam Perill. Dom. Matthiae Bodó in occasionem hanc composita, digna, quae ad omnium manus perveniat.

pp) Vid. Fischerus in Theatro fol. 31.

rorum sui temporis vitam magna cum fidelitate percensuerit a); persvadeo mihi certissime, neminem facile futurum, qui mihi eo nomine male velit, quod de vita Sum. Ven. viri Eliae Fischeri, Késmárkiensium Pastoris et I. Districtus Cis- et Trans-Tibiscani Superintendentis longe dignissimi, dum adhuc rebus humanis interest, breviter commentari adgredior. Postquam enim vitam reliquorum Superintendentum in I. Districtu nostro, ea, qua fieri poterat, diligentia descripsissem, indignum existimabam, eum negligere, qui, uti speramus indubie, majores suos officio et meritis in sanctiorem rempublicam magna animi contentione exaequabit. Ditio Scepusiensium, natalibus clarissimorum virorum ad posteritatem insignis b), Sum. Ven. Fischerum jure sibi vindicat et ejus meritorum non minus, quam celebritatis partem capit. Ibi enim in ecclesia articulari Toporcensi felici omine 13. Jul. an. 1689. natus est, magno utriusque parentis, sub tristi, uti tunc erant tempora, exilio gementis, solatio. Patrem venerabatur Ven. virum Joh. Georg. Fischerum c), tum ab ecclesia Stössensi exulem, matrem autem Mariam Sartoris, matronam multis sexus sui virtutibus longe commendatissimam. Optimi parentes in educando feliciter filio ita elaborarunt, ut nihil praeterierint penitus, quod ex praescripto divinarum legum ad ejus commoda pertinere videretur. Nam etsi in exilio, quod religionis causa constanti animo tolerabant, facile in eam sententiam delabi potuerint, ut non a studiis, sed ab aliis artibus quaerenda esse filio vitae praesidia existimarent; tantum

a) Videri potest celeberrimi Göttenii: „Jezt lebendes gelehrtes Europa,“ in quo libello unice vitae eruditorum hac nostra aetate viventium recensentur. Prodiit I. Tomus Brunsvigae an. 1735. in 8., quem sequentibus annis reliqui insequuti sunt.

b) Videatur de eo, si placet, vita Ven. Superintendentis Heutschii p. 71. sequ., ubi per plures eruditi viri Scepusienses recensentur.

c) Joh. Georgius Fischerus magni Superintendentis nostri pater, natus fuit aequae Toporcini patre Ven. Michaeli Fischeri, ibidem pastore, matre Ludomilla Essiniana. Studuit Toporcini et invalescente persecutione Thorunium et hinc Lipsiam profectus, studia sua sub celeb. Scherzero et Valent. Alberti continuavit. Redux in patriam fit in eccles. Stössensi Minister an. 1686. sacris ordinibus initiatus. Vix triennium abierat, dum causa religionis exulare habuit necessum, propterea Toporcinum commigravit et hinc Váralyam vocatus, postquam egregie ministerio fuisset defunctus, ibidem vitam cum morte commutavit.

tamen abest, ut ita fuerint opinati, ut potius filium studiis dedicarent, rei Evangelicae cum tempore utilissime operaturum. Hinc non tantum ad latus artibus, quarum prima aetas capax esse solet, filium erudiri curarunt, sed etiam ingenio, quod non vulgare in eo elucebat, excitati ad clarissimas eum in patria Musarum sedes ablegarunt, ut spem, quam optimi parentes de eo conceperant, adprobaret. Nec multa, quo mitti deberet, opus erat deliberatione. Tum enim Leutschoviae, exstanti cum utilitate, juventuti scholasticae moderabatur Martinus Dubovszky *d*), vir de scholis meritis-simus, cujus in docendo dexteritatem et lubenter agnoscit, et prolixè depraedicare solet Fischerus. Ulterius eidem adhaesisset, nisi arbitrio majorum linguae patriae habenda fuisset ratio. Hanc ut sibi faceret familiarem, Rosnaviam commigravit et commendatissimum illius temporis praeceptorem, Misoviczium, sequutus est. Hic cum ita fuisset institutus, ut percolendis in Collegio studiis omnium sententia dignus haberetur, ad celebre illud Eperjesiensium Musarum domicilium delatus, Rezikio praeceptore usus fuit, cui in superioribus studiis tantum se debere profiteretur, quantum ei, dum viveret, persolvere longe erat difficillimum. Absolutis hic, quae ad circulum humaniorum studiorum pertinere videbantur, exterarum adire regiones in animum induxit, quo alieno sub coelo meliores literas institutione celeberrimorum virorum multis accessionibus amplificaret. Hinc an. 1709. ad celebrem Wittembergensium Universitatem delatus, ita insignibus sacrarum litterarum interpretibus,

d) Martinus Dubovszky scholae Leutshoviensis Rector, cum filio ejusdem nominis Rectore condam Bartphensi confundi non debet. Pater enim natus fuit Solnae et positus in patria studiorum fundamentis, dum causa sacrarum juxta cum reliquis exulare deberet, Wratislaviam delatus, per biennium studiis ibidem incubuit, atque demum Wittembergae sub Calovio et Quenstedio ita ea confirmavit, ut semel atque iterum disputando vires experiri ausus. In patriam revocatus dignus habitus fuit, qui in Collegio Eperjesiensi officio Prof. Poeseos fungeretur, sed exturbatis hinc Professoribus, Briznae Rector constituitur et post biennium in exilium actus in Nyustya nobili juventuti praefuit, liberali Inclytae gentis Kubiniana benevolentia sustentatus. Hinc Carponam ad regendam scholam accitus per annos XIV. insigni cum fructu laboravit, atque demum ex voto L. Baronis Joh. Godofr. a Hellenbach eam cum Schemniciensi commutavit et an. 1707. scholae Leutschoviensis Rector factus, post tria lustra 1. Aug. an. 1722. mortuus est. Filius Bartphensium Rector an. 1741. finem vivendi fecit.

Wernsdorfio, Chladenio, Feustkingio, Schroeero, et reliquis adhaesit, ut bene collocati ibidem temporis adhuc cum voluptate recorderetur. Dum enim an. 1712. confecto feliciter studiorum cursu in patriam redire meditaretur, non prius iter ingressus est, quam erudito specimine, de Reprobo morte Christi redempto, eruditionem suam litterato orbi adprobaret. Non multo post, ac in patriam redierat, ecclesia Bartphensis communibus eum suffragiis in Ministerium Verbi divini evocavit, qui ministerio Superintendentis Schwartzii 3. Aug. an. 1713. Eperjesini consecratus tanta cum utilitate apud Bartphenses versatus est, ut quamvis aliorum ad regendos puriores coetus saepe saepius, etiam lautioribus cum stipendiis invitaretur; tamen abierunt anni sex et decem, dum eum Bartpha a complexibus suis dimitteret. Finem enim vivendi fecerat vir multo longiore vita dignissimus Ven. Daniel Lany e) ecclesiae Késmárkiensis Minister meritissimus, cui felici fortunatoque omine Ven. Fischerus successor datus an. 1729. stationem Késmárkiensem occupavit. Hanc insigni cum emolumento et ea cum dexteritate obibat, ut dum Ven. Elias Perlicius f) Késmárkiensis Pastor, aetatis sa-

e) Daniel Lany Késmárkini patre nobili Martino Lany Senatore primario causa religionis beate mortuo, matre Susanna Cornides, die 15. Sept. an. 1691. natus, postquam in schola patria utcumque adolevisset, linguae Slavonicae causa Georgio Zitnay Bezeroviczii docente commendatus et paucum post tempus propter intestinos patriae tumultus Rosnaviam missus Misoviczio per biennium adhaesit. Hinc ut linguam Hungaricam percoleret et Miscolczinum et Patakinum se contulerat, sed increbescente bello hungarico Eperjessinum redire coactus non minus Rezikium, quam M. Joh. Buris audiebat. Tandem cum res patriae praesentissimo periculo exponerentur, optimus pater filium an. 1709. beneficio Vistulae Dantiscum mittit, ubi institutione non tantum Sam. Schelvigii; sed etiam Joh. Sartorii et Pauli Pater Hungarorum non vulgariter profecisset, nisi tertio statim mense contagiosa lue fuisset exturbatus. Exploraturus in Monte regio Prussorum Universitatem, in sinu Baltico magno expositus periculo, tandem Berolinum et hinc Wittembergam eodem anno appulit et studia sua Wernsdorfio, Chladenio, Feustkingio et Schroeero confirmavit. An. 1714. ex voto moestissimae matris redux, Rosnaviam in locum Ven. Sam. Platani Topscham transeuntis vocatus, an. 1716. mense Februario consecratus fuit. Hinc ad Késmárkiensem exiit per annos tres et decem magno cum fructu sacris praefuit. Obiit in Domino 23. Febr. an. 1739. cum vix annos triginta et octo exegisset, quatuor filiorum superstitem, Danielis, Jacobi, Pauli, Alexandri felix pater.

f) Elias Perlicius Puchoviae 20. Jan. an. 1670. natus, patrem veneraba-

tur diem supremum obiisset, communi sententia an. 1734. ei sufficeretur, supremam ecclesiae directionem consequutus. Hic explicandae eruditionis suae campum nactus magna animi contentione hoc egit, ut spem, quam omnes boni de eo conceperant, re ipsa adimpleret et consequeretur laudem duraturam ad posteritatem. Nec alias cecidisse honestas ejus destinationes felix admodum comprobavit eventus. Praeterquam enim quod in Conventu Giralduensi an. 1741. celebrato Senior Lib. Reg. Civitatum fuerit designatus: etiam post beatum Superintendentis Ambrosii obitum novae honore accessio exspectabat. Nam postquam ex praescripto Instrumenti Coalitionis in Lib. Reg. Civitatibus constituendus esset Superintendens et quatuor Ven. viri, Elias Fischerus, M. Andreas Weinert *g)* Samuel Rumi et Michael Krumbholtz *h)* candidarentur, 24. Jan. an. 1747. in Conventu Keresztfalvensi, pluribus suffragiis Ven. Fischerus Superintendens electus et sequenti statim die Conversioni Pauli in fastis dedicata, opera M. Andreae Weinerti, in ecclesia Késmárkiensi, more apud Evangelicos usitato, consecratus fuit, postquam Ven. Samuel Rumi *i)* Leutschoviensium Pastor ex Act. XX. 28. agenda superintendentalia non minus docte quam

tur Daniele Perlicium in Silesia demum Pastorem, matrem Catharinam Ginczeliam. Studuit Silberbergae et Vratislaviae, dein studia amplificaturus 4. annis Jenae et Lipsiae. Confirmatis studiis Vratislaviae tantisper commoratus praeter omnem expectationem Késmárkinum accitus et an. 1704. emeriti Pastoris Michaelis Fischeri substitutus constitutus fuit. Procedente tempore ecclesiae Késmárkiensis Pastor factus 8. Febr. an. 1734. vitam cum morte commutavit, postquam annis LXIV. rebus humanis interfuisset, eo nomine utquamplurimum felix, quod Joh. Daniele Perlicium Med. Doctorem commendatissimum filium reliquerit.

g) M. Andreae Weinerti vitam legere potes p. 171.

h) Michael Krumbholtz Ollassini in Scepusio natus, postquam in patria et Eperjesini didicisset, studia apud Saxones confirmavit, Neumanno, Loeschero et Feustkingio praeceptoribus usus. Hungariae restitutus fit Ollassini in patria sua an. 1713. Minister et hinc Bartpham vocatus adhuc officio Pastoris defungitur.

i) Samuel Rumi Gúntzini in I. Comitatu Castriferrei natus venerabatur patrem Joh. Rumi civem multo dignissimum, matrem Juditham Kövesdi. Studiis dedicatus Sempronii sub Cel. Joh. Christophoro Deccardo ea percipuit atque demum Tubingam delatus, sub Matthaeo Pfaffio seniore et Hofmanno eadem confirmavit. Exacto ibidem quadriennio domum rediit et an. 1726. Schemnicii in Montanis scholae Rector constitutus fuit. Hoc officio

eleganter, cum praesentissima auditorii utilitate, explicasset, ne quid hac vice de oratione latina, quam ego *k*) ex consensu majorum ad altare recitabam, et devota hujus solennis inaugurationis conclusione, per Rev. Casparum Reis, summe Ven. Superintendentis collegam *l*) peracta adjiciam. Habet jam sanctior Késmárkensis coetus evangelicus, quod ei apud sequituram posteritatem ad laudem satis est, cum hoc quoque nomine reliquis Lib. Reg. Civitatibus in superiori Hungaria equiparari queat. Uti enim Leutschovienses, Barthenses, Cassovienses et Eperjesienses coluerunt viros omni laude mea superiores Zableros, Wagneros, Liefmannos, Heutschios, Schwartzios, Pfanschmidios, qui nomine Superintendentum reliquis cum auctoritate moderabantur: ita habent Késmárkienses, quod Deo rebus suis nunquam non propitio in acceptis referant; cum summe Ven. Fischerum primum in hac civitate Superintendentem venerari possint. Jam enim hoc magna animi contentione agit, quod officium sibi creditum et melior conscientia videtur postulare. Praeterquam enim quod sacro ministerio cum magna fidelitate defungitur: etiam officium Superintendentis ita administrat, ut nemini gravis sit, nemini molestus. Hoc inter tot utriusque officii occupationes tanto commodius exsequi-

annis 9. cum insigni fructu defunctus an. 1735. Cassoviam in Diaconum I. nationis Germanicae a Superintendente Pfanschmidio ordinatur, atque eodem anno 1741. fatis functo Leutschoviensium Minister constituitur, ubi adhuc divino munere cum fructu sacris operatur, vir eruditus et rei evangelicae multo utilissimus.

k) In oratione honori Ambrosiano dedicata ex sanctione Concilii Sardinensis, Episcopos per gradus ad summam illam dignitatem ascendere debuisse, ostendi, in posteriore vero, quam occasione solennis inaugurationis Ven. Superintendentis Fischeri recitabam, gradus illos, in ministerio non minus utiles, quam necessarios esse confirmavi.

l) Casparus Reis in monte Georgii apud Scepusienses natus non minus Leutschoviae, quam Posonii studuit, ibi Rev. Andr. Grossii, hic Frid. Vilhelmi Berii institutione usus. Hinc Vratislaviam digressus Gottlob Krantzio, Rectori Elisabethano, adhaesit, dein an. 1727. Jenam delatus Weisenbornium, Buddeum, et Walchium duces sectatus est. Postquam ab exteris rediisset, Venerando condam Martino Krause, in patria sua Ministro an. 1729. successit et an. 1741. provinciam illam cum statione Diaconi Késmárkensis felicissime commutavit, ubi adhuc, dum haec scribuntur, Deo propitio, cum utilitate commisso sibi officio defungitur, vir a diligentia et profusa humanitate utquamplurimum commendatus.

tur, quanto magis a natura donis animi instructus est, ad obeundam utramque provinciam utquamplurimum necessariis. Nihil quidem ei natura parens denegavisse videtur, quod administrando sanctiori officio perutile existimabat; hoc tamen inter reliqua principe loco commemorari debet, quod os ei tam disertum et eloquens tribuerit, ut quidam linguarum multo peritissimi Germanicum eum Ciceronem appellare non dubitaverint. Dabat quidem saepe saepius insignia eloquentiae suae specimina: sed tum vel maxime, quantum dicendo valeat, testatum fecit, cum Ven. Superintendenti Pfanschmidio, supremum officium praestiturus, apud Leutschovienses diserto ore suo parentaret. De supellectili libraria, quam et selectam habet et multo instructissimam, nihil habeo dicere. Nullis enim pepercit sumtibus, comparandis melioribus libris, non minus suae, quam filiorum, si vixissent, necessitati consulturus. In eo naturam novercantem utquamplurimum accusare solet, quod morbo, quem medici ex praescripto artis suae malum podagricum appellare consueverunt, haud raro divexetur. Certe saepe numero cum Philemone illo sophista ex Philostrate querulari habet necessum: comedendum est, manus non habeo, ambulandum est, pedes non habeo, dolendum est, et manus et pedes habeo; aut cum Celeberrimo Balduino, qui cum funeri Carpzoviano interesse non posset, non sine commotione animi perscribebat:

Ah me dira ligat furiarum quarta podagra

Nec facit officium pesque manusque suum *m*).

Sed hoc ei omnium sententia in partem laudis scribi debet, quod inter tot tantosque dolores nomen optimi viri religiosa pietate et rara admodum patientia tueatur. Omnes enim, quae eum circumstant, molestias, tam forti animo tolerare solet, ut multis non absque ratione mirum esse videatur, quod inter tot vitae discrimina et casus lugubres multo frequentissimos rebus humanis interesse potuerit. Nam postquam apud Bartphenses animam ducendae uxori adjecisset et Susannam Mülleterianam, nulla non virtute, imprimis autem modestia, humanitate et religiosa pietate insignem, an. 1713. sibi in conjugem adscivisset, felix foecundumque conjugium

m) Consuli potest M. Nicolai Hasii „Der allseit fertige Geistliche Redner p. 801.

ejus ita Deus pro sua sapientia subinde lugubribus casibus interstingebat, ut dubium sit, num facile reperiri queat alter, qui hac in parte jure cum eo conferatur. Praeterquam enim quod dilectissima filia Anna Dorothea, quam sibi Ven. condam vir Joh. Simonides ⁿ⁾ in conjugem delegerat, opinione citius vivere desiit: etiam optimus gener paulo post finem vivendi fecit, nepotum educatione in Ven. Fischerum et dilectam ejus conjugem devoluta. Quam multis nominibus hoc iis molestum evenerit, prolixius significare opus non est. Vix vulnus hoc, satis alioquin acerbum, ad cicatricem perductum fuit, recrudit iterum, dum filius Michael, optimae spei adolescens, in teneriori aetate sua, vitam cum morte commutaret: omnium tamen horum acerbissimum et nullis lacrymis facile deplorandum hoc fuit, quod alter, major natu filius, Cl. Joh. Georgius Fischerus, in spem patriae et praesentissima parentum solatia natus, dum in celeb. Universitate Jenensi sacratoriibus studiis operaretur, febre maligna oppressus Calendis Martiis an. 1748. annos viginti natus, mori habuerit necessum, apud Jenenses in templo academico solenni ritu contumulatus ^{o)}. Hinc facili admodum opera intelligi potest, quam tristis hic et luctuosus Ven. Superintendenti Fischeri fuerit nuncius; cum vivente optimo filio omnibus fuerit exploratum, quod

ⁿ⁾ Johannes Simonides, Neosolii in Montanis, dum Ven. pater ejus in exilio moraretur, an. 1708. natus, patrem colebat Rev. Samuelem Simonidem, magni Joh. Simonidae Neosoliensis Pastoris filium, et Pauli ibidem Rectoris condam meritissimi fratrem. Mater ei fuit Susanna Jezikia. Studuit in patria atque demum praeceptionibus Posonii Cl. Marthii et Beeri per quinquennium usus an. 1724. Lipsiae, Clausingio, Pfeiffero et Carpzovio familiarissime adhaesit. In patriam an. 1728. redux juventuti I. gentis Kelerianae et Kreuzelianaee apud Bartphenses moderabatur et breve post tempus Leutschoviae primum Conrectoris, dein an. 1730. Rectoris provinciam administrabat. Hic etsi ad regendum sanctiorem coetum Várallyium, Septemtilias et Lónyobányam evocaretur; juventuti tamen praeesse maluit et praefuisset in posterum, nisi Leibicensium votis an. 1732. subscribere necessum putavisset. Non diu hic ministerio functus est, sed Schemnicium delatus tanta cum dexteritate faciebat officium, ut nemo inveniretur facile, qui non ei perpetuitatem fuerit comprecatus. Hoc dedoleri non potest, quod dum maxime mereri inciperet, beate in Domino fuerit mortuus.

^{o)} De vita, studiis, morbi genere et quae hunc comitebatur, felici morte solennique funere Joh. Georgii Fischeri consuli potest eruditum Programma, in memoriam ejus nomine Magnifici Rectoris Academiae Jenensis 4.

Omnis in hoc nato chari stet cura parentis :

vicit tamen animum, tot tantisque luctibus contabescentem et eum spe melioris vitae ita sustentat, ut diligentissima utriusque officii procuracione omnes suas destinationes ad immortalitatem comparare videatur. De singulari Ven. Superintendentis nostri eruditione et vita ad omnem humanitatem composita, tanto minus necessarium scribere esse puto: quanto magis omnibus nobis certa haec sunt atque explorata. Id unicum hac vice omnes, qui sanctiori rei evangelicae bene cupiunt, magna cum religione precantur, ut Deus Ven. Superintendentem nostrum non minus diu, quam feliciter rebus humanis interesse patiatur et omnes sacras ejus destinationes ex alto fortunet, quo et sanctior coetus de antistite et antistes de felicibus commissorum sibi coetuum accessio- nibus perpetuo laetetur atque demum satur aetatis et meritis gra- vis, cum voluptate coetui aeternum in coelis triumphanti adscriba- tur. Tantum !

Caput IV

de

Superintendentibus I. Districtus Trans-Danu-
biani.

Joh. Tóth Sipkovios.

Abierant inter fatales rerum Hungaricarum conversiones an- ni septuaginta, dum puriores coetus evangelici trans Istrum, post molestam diuturnamque orbitatem, nova antistitis ecclesiarum in- auguratione ultra quam quis existimare queat, recrearentur. Post- quam enim Stephanus ille Fekete, de quo in antecedentibus dictum, quod satis est, post decennalem illam ecclesiarum evangelicarum

Martii an. 1748. ibidem evulgatum, ne quidpiam de eleganti oratione latina a Cl. Gregorio Fabri Gömöriensi Hungaro, et dum haec scribuntur, scholae Eperjesiensis Rectore dignissimo, in obitum ejus habita atque reliquorum popularium pietate, adulto more, eruditus carminibus declarata, hac vice percenseam.

divexationem, sacra nostra deseruisset, nemo fuit trans Istrum alter, qui nomine Superintendentis coetibus alioquin copiosissimis, ad haec usque tempora praefuerit; sed quoties inaugurandus erat Minister, longum ei ad alios Districtus suscipiendum erat iter, si usitato apud Evangelicos ritu ad obeundum ministerium volebat consecrari. Tandem post benignam Caesareo-Regiam Resolutionem primus omnium constitutus fuit Superintendens Joh. Tôth Sipkovics, nobilis Hungarus, ecclesiae Têtiensis Pastor multo fidelissimus. Hic uti omne tempus vitae ad praescriptum legis divinae componebat; ita vel maxime post susceptum ministerium elaborabat, ut nihil unquam sciens volensque committat, quod jure in offensam verti possit. Hinc fiebat, ut non tantum Dioeceseos Jaurinensis Senior constitueretur: sed etiam communibus suffragiis eligeretur Superintendens, coetibus evangelicis trans Istrum constitutis invigilaturus. Opus enim erat viro gravi et longo rerum usu subacto, ut disciplinam diuturnitate temporis collapsam redintegrare, inveterata mala prudenter corrigere et quae mutanda videbantur, absque strepitu ad ordinem revocare queat. Hanc honoris accessionem, ut majori cum auctoritate tueatur, in ecclesia Vadosfalvensi d. III. Calend. Martii an. 1742. solenniter inauguratus fuit. De eruditione ejus, morum gravitate, et reliquis virtutibus, quae praesulem non minus ornant, quam perficiunt, operosius commentari opus non est. Saepe enim laudatus Haynoczius liberalissimum mihi otium fecisse videtur, qui nervose non minus, quam ex vero de eodem judicavit:

Hoc docta virtus, hoc probitas tua,
Morum vetustas, gratia oris,
Hoc meruit decus infulamque a).

Indubiam sane puriores Dei coetus trans Istrum spem concipiebant, novum hunc antistitem ita collapsam fortunam ecclesiarum reparaturum, ut propitia illa condam Evangelicis tempora in orbem revocasse videatur. Spem hanc honestissimasque destinationes ejus brevior vitae usura intervertit. Vix enim triennium abierat, cum aetatis et laborum satur, hoc, quod mortale ei a natura datum erat, an. 1745. cum immortalitate commutavit. Hoc ad po-

a) Conf. saepius laudata epistola Cl. Haynoczii gratulatoria Halis an. 1742. impressa.

steritatem scribi debet, inter fabulas et inania otiosorum hominum commenta referri debere, quod in superiori Hungaria sparsum erat, eum malitia judaeorum, bonis facultatibusque optimi viri praepostere inhiantium, e vivis sublatum esse. Continuatō enim feliciter vitae cursu inevitabili illa mortis lege, quam nemo mortaliū devitare potuit unquam, finem vivendi fecit, si per aetatem licuisset, vir multo longiore vita dignissimus.

Josephus Perlaky.

Ultra seculum jam est, ex quo gens Perlakiana sacro illo evangelii ministerio et praedicatione verbi divini inserviebat. Non vulgare familiae illius decus erat Jos. Perlaky, ecclesiae Nemes-Kériensis Pastor et ecclesiarum, quae trans Istrum sunt, Superintendentens. Hic in Sajó-Gömör, patre Davide Perlaky *a)*, matre Catharina Hunnius natus, educabatur Osgyanini Cl. Paulo Áldásy *b)* praeceptore usus. Dum adolevisset Csetnekini Andream Fabritium *c)* Neosolii Paulum Simonidem *d)* et Sempronii Joh. Chri-

a) David Perlaky in I. Comitatu Szaladiensis, confinio Légrad, ubi pater ejus Georgius Perlaky ministerio evangelico functus fuit, natus, Sempronii utquamplurimum sub Paulo Kövesdi et Mich. Ungero ita studia percipuit, ut Jaurinum ad regendam scholam vocaretur, sed an. 1683. in exilium actus anno statim sequente Eperjesinum in Ministrum Hungaricum vocatus cum utilitate laboravit. Hinc Gömörinum et demum Osgyaninum evocatus satur aetatis in Domino mortuus est. Vir a natura fortis et quod multis actionibus testatus est, a more Scytharum non alienus.

b) Paulus Áldásy alias Benedicti appellatus, Poltarini apud Neogradenses natus, Rosnaviae et Eperjesini, hic Rezikii, ibi Misoviczii institutione adolevit. Apud Eperjesienses classem Syntaxistarum informando hoc meruit, ut sumtibus Collegii Jenam mitteretur, ubi exacto biennio in Universitate Altorfiensi per annum commoratus est. Post reditum Osgyanini et Csetnekini scholis praefuit, dein Gömörini an. 1720. Pastor factus, breve post tempus ad Lest et hinc ad Esztergály concessit, unde propter turbas, quas scripto quodam indifferentistico dederat, exturbatus, postquam digne resipuisset, occasione contagionis an. 1740. Osgyaninum inductus adhuc ibi ministerio defungitur, vir non indoctus, sed sua culpa inter infelices litteratos numerandus.

c) Andraeae Fabritii vitam percensui p. 172. 173.

d) Paulus Simonides magni illius Joh. Simonidae Pastoris Neosoliensis

stophorum Deccardum *e*) magistros audiebat. Studia sua amplificaturus Wittembergam commigravit et Vernsdorsio, Schroeero, M. Hoerio ita adhaesit, ut post reditum in patriam tempus academicum optime eum collocavisse omnes intelligerent. Hinc anno 1729. ad ecclesiam Nemes-Kériensem vocatus, susceptis Csetnekini ordinibus ita sua omnia praeclare egit, ut Joh. Tóth Sipkovics e vivis sublato an. 1746. Superintendens ecclesiarum, quae trans Istrum supersunt, renunciaretur. Vir fuit diligens, ad res gerendas idoneus et conservandae auctoritatis longe studiosissimus, sed quod experiendo didici et absque dispendio famae dici potest, nationis Germanicae et Slavonicae non satis aequus aestimator. Hoc ei tanto indulgendum erat facilius, quanto certius ex sententia Augustini *f*) existimamus, lingvarum diversitatem alienare hominem ab homine. Uti enim ignarus erat utriusque linguae, ita et eos aversabatur, qui sive Germanico, sive Slavonico idiomate cum elegantia uti consueverant. Et est hoc revera inter vulgus Hungaricum haud vulgare vitium, ut neminem admirentur magis, quam eum, qui eis est lingua et moribus utquamplurimum persimilis. Sed uti Venerandi Perlakyi magna erat trans Istrum veneratio, ita multo major adparuit luctus acerbitas, cum vix exacto quadrienio coetus evangelicus praematurum ejus obitum deplorare necessum habuerit. Anno enim 1750. dum optime mereri inciperet, ad meliorem devocatus vitam hinc demigravit, digno virtute Per'akyanae funere ad sepulchrum delatus.

filius, ibidem primum sub Belio Conrectoris, dein Rectoris scholae officio, insigni cum celebritate functus fuit, vir multo eruditissimus in coelibatu non sine multorum dolore an. 1736. mortuus.

e) Joh. Christophorus Deccardus, polyhistor patriae multo commendatissimus et propter reconditam cultioris illius latinitatis cognitionem Cicero Hungariae dictus, postquam annos viginti et octo Gymnasio Sempronensi evang. cum maxima nominis sui commendatione praefuisset, rude propter auditum defectum donatus, quietam in senio agit vitam.

f) Vid. Augustinus de Civitate Dei Lib. XXIX. Cap. VII.

Gregorius Fabri *).

De hoc viro, qui divina providentia rebus humanis interest, tribus, quod ajunt, verbis tanto lubentius commentabor ad posteritatem, quanto minus eruditio, virtus et modestia ejus mihi optime cognita exaggeratiore commendatione opus habet. Osgyaninum, locum sacris Hungaricis apud Kis-Honthenses insignem, patriam veneratur, ubi parentibus multo honestissimis editus, a primis pueritiae annis nihil egit studiosius, quam ut meliores litteras magna animi contentione percoleret. Hinc non tantum in patria et alibi, sed imprimis Jaurini, dum res eorum integrae essent, utilissimis praeceptionibus Celeb. viri Joh. Tomka a) fidelissimi praeceptoris usus, ita auspicato adolevit, ut studia sua Wittembergam delatus amplissimis accessionibus amplificavit. Postquam patriae fuisset restitutus, Jaurinenses, quibus prius cognitus erat,

*) Gregorius Fabri Osgyanensis an. 1723. Késmárkinum venit sub disciplinae Georgii Buchholtz, qui etiam haec de eo adnotavit in Matricula scholae Késmárkiensis: Iste sedulitate sua obtinuit praeceptoratum apud Perillustrem Dom. Notarium, nunc substitutum judicem, ubi laudabiliter sese gerens, per commendationem meam in Dravecza paedagogiam nactus honeste valedixit 14. Julii 1726. Anno transacto Sempronium commendavi d. 25. Julii an. 1727. Conrektor et Diaconus Jaurinensis, jam ibidem Rector. Haec de eodem Buchholtz (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

a) Joh. Tomka adscito nomine Szászky appellatus, origine Thurócziensis, genere nobilis, vir est ad omne decus elegantioris litteraturae educatus. Nobilis gens Tomkiana de Folkusfalva apud Thuróczienses perantiqua est, sed ita divino munere multiplicata, ut multi praesidia vitae cum commoditate transigendae alibi quaerere fuerint coacti. Ita enim I. Comitatus Thurócziensis arctis a natura limitibus est circumseptus, ut multi nobilium, quod alibi a nobis ostensum est, sedes fortunarum extra patriam collocare habuerint necesse. Praeclarissimi hujus viri nobilis pater ad Zolienses delatus, quantum divinando adsequor, in pago Szász conederat, a quo apud Vetusolienses demum Szászky fuit cognominatus. Sed cum neque virtus, neque origo magni hujus viri latere potuisset, nobili praerogativae locus datus fuit multo lubentissime. De hujus vita et meritis exaggeratius commentari opus non est, cum non tantum litterato orbi, publicis eruditionis suae specimenibus dudum jam innotuerit, sed etiam in Centuria mea Litteratorum Thurócziensium de ejus meritis disserendi ampliorem me dicendi locum habiturum confidam, cui hac vice cum constanti valetudine perpetuitatem commprecamur.

scholasticae eum juventuti praefecerunt *b*), ubi cum in dies inclaresceret magis, Vadosfalvensis ecclesiae directionem suscipere coactus fuit. Huic ille tanta dexteritate moderabatur, ut post tristem Ven. Perlakyi obitum Superintendentis provinciam an. 1751. sibi commendatam, etsi maxime voluerit, non potuerit tamen declinare. Jam divinis auxiliis hoc agit, ut Deo, conscientiae, expectationi optimorum virorum et I. Districtus Trans-Danubiani ex asse respondeat, cui mecum omnes vitam longaevam, felices destinationum successus et fata maxime propitia comprecantur. Feliciter ! *).

* * *

Haec sunt, Lector Benevole, quae de Superintendentibus Evangelicis, ea, qua fieri poterat, adcuracione, perscribenda existimabam ad posteritatem. Dispeream, si volens erravi, si quid tamen nolenti subrepsit erroris, tanto mihi optimum Lectorem aequius condonaturum spero, quanto rariora sunt documenta, quae in subsidium vocari queant. Mihi satis est, ita merces obscuras, improbo alioquin labore tractavisse, ut qui eas amplificare voluerit, non exigua in brevi hoc Schediasmate reperiturus sit auctora-menta. Utinam Deus rebus evangelicis nunquam non propitius, excitet in patria nostra viros rei ecclesiasticae utquamplurimum studiosos, qui res nostras ecclesiasticas, multis modis perplexas, summa animi contentione illustrare et viros de puriori coetu insigniter meritos ad posteritatem transscribere adnitantur. Fieret profecto haud vulgaris ad rem litterariam accessio, neque inveni-
rent aliqui exterorum *a*), cur nobis desidiam et nescio quam bar-

b) Erat Jaurini a longis jam temporibus celebris Evangelicorum schola, ubi copiosa admodum juvenus ad superiora praeparabatur, sed quod dedoleri potest nunquam, an. 1749. non tantum Oratoria Evangelicorum publica lege regni stabilita adempta sunt, sed scholae etiam cum praesentissima rerum evangelicarum jactura dissipatae, quod Deus imposterum a puriori coetu suo clementissime prohibeat.

*) Annus insequens 1751. fatalis ei fuit propter tumultum Vadosfalvensium, ubi Pastor erat, illo quidem insonte, excitatum. Nam mandato regio munere superattendens privatus, Vadosfalva emigrare jussus, successit ei Balog P. Nemeskériensis (M á s v a l a k i n e k j e g y z e t e).

a) Non facile adsequor, unde fiat, quod viris quibusdam exteris adeo

bariem objicerent, quamvis adhuc non invenerint quicquam, cum Hungariae nunquam defuerint ingenia, summa quaeque tentatura, si pari cum exteris pace, pari scribendi, et quae scribuntur, evulgandi commoditate aut amplioribus fortunarum accessionibus glo-

invisa sit gens hungarica, ut praeter jus et aequum, desultoria quadam animi levitate, multa de Hungaris comminiscantur, quae in omnem aeternitatem confirmari non possunt. Ita Otto ille Frisingensis Lib. I. de rebus Frederici I. Cap. XXXI. Hungaros moribus et lingua barbaros et hominum monstra appellavit. Philipp. Andreas Oldenburgerus in thesauro Rerumpublicarum Part. IV. tit. 2. et Reimannus in Tentamine Introd. in Hist. Litt. p. 384. de Hungaris iniquissime loquutus est. Ottonem illum Frisingensem non minus erudite quam ex vero refutavit M. Daniel Jeszenszky Thuróczi-Hungarus, Pastor L. Caesareus in peculiari Schediasmate, quo M. Christ. Peschekium ad castigationem justo iniquioris de Hungaris iudicii peramice invitabat. Prodiit Palaeo-Dresdae an. 1780. in quarto. Oldenburgerum modestius, quam meruerat, castigavit Perill. Dominus Joh. Jony in Commentatione Juridico-Historica de origine et progressu juris hungarici, pag. 2. Reimannum, non excluso Oldenburgero, turpis mendacii convicit Cl. Michael Rotarides in Prolegomenis Lineamentorum Historiae hungaricae litterariae, Altonaviae et Servestae an. 1745. editis in quarto. Mea sententia in eo falluntur omnes, qui inveniuntur, calumniatores, quod quicquid de Scythis, majoribus nostris olim, in litteras relatum inveniunt, id omne Hungaris transcribunt, contra omnem Historicorum mentem, nulla prorsus habita temporum ratione. Non negamus quidem, Scythis, communi Historicorum consensu, feritatem morum adscribi et barbaram quandam vivendi loquendique rationem; sed haec et alia de Hungaris hujus seculi aut proxime antecedentis existimare, stultum est et ab omni veritate alienum. Quis est, cui ignotum esse possit, Inclitam Germanorum gentem ita perpolitam esse et excultam, ut cum omnibus Europae nationibus jure certare et primas sibi fere partes vindicare queat, cum tamen eruditissimis exploratum sit, Tacitum haud pauca de feritate morum Germanicorum prodidisse. Uti ergo I. genti Germanicae vitia majorum fraudi esse non possunt: ita Hungaris nulla ratione imputari debent, quae de Scythis, majoribus eorum, perscripta sunt ad posteritatem. Tantum enim abest, ut Hungari Scythicam amplius sequantur vivendi rationem, ut cultissimas quasque Europae gentes cum ratione aemulari videantur. Quod dictionem Hungarorum adinet, qui pluribus linguis tanquam vernaculis uti solent, neque hic facile reperias, quod in offensam verti possit, si a vulgo discesseris. Etsi enim lingua Hungarica peculiaris sit et multis difficultatibus involuta; non desunt tamen patriae nostrae viri, qui eadem cum omni gravitate et elegantia utantur, non sine magna audientium admiratione. Idem de lingua Slavonica, quae et frequens est et multi usus, intelligendum esse puto. Hanc enim cum singulari nominis sui commendatione percoluerunt: Hrabecii, Hodikii, Kalinkii, Masnicii, Krmanni, Hrus-

riari potuissent. Deus stator et arbiter rerum nostrarum, uti universae genti Hungaricae indulgentissime bene velit : ita puriorem coetum suum Evangelicum, inter fatales rerum conversiones, propitius servet et Tibi, Lector Benevole, fortunisque tuis nihil non felix fortunatumque largiatur.

Tantum.

koviczii, Michaelidesii, Ambrosii, et qui divino munere, dum haec scribuntur, supersunt, Jacobaei, Doleschalii, Jamrischkii, Markoviczii, Balaschoviczii, Bahilii et multo plures. Purior illa dictio germanica ita multis in Hungaria familiaris est, ut cum Imperialibus Germanis certare posse videantur. De lingua latina non habeo dicere. Ita enim probatam illam latinitatem adamarunt Hungari, ut quod iis ex vero objicere queant exteri, non facile inveniant. Habebat enim Hungaria Pilarikios, Belios, Simonidesios, Simkoviczios, Hajnoczios et habet adhuc Deccardos, Beerios, Tomkios, Blasios, Majores, Tubelios, Ribinios, Gotthardos et multo plures dictionis Ciceronianae aemulos. Desinant ergo boni viri innocentes Hungaros conviciari et eis inter fatales rerum conversiones fata magis propitia comparecentur.

Soli Deo gloria.

Finita anno MDCCLIII. die 7. Apr. Sabbatho
scilicet, quod est ante Dominicam Judica.

Sit nomen Domini benedictum ab eo, qui
Meminit Laudis Messiae.



Syllabus personarum.

	Pag.		Pag.
A.			
Abrahamides Isaac. 12., 13., 14., 15., 17., 28., 39.,	87	Belavius Thom.	21
Adami Mart. 68.	186	Belius Matth.	3
Aegidius Stephan.	128	Bencsik Michael	9
Alauda Jos.	58	Benedek Joh v. Kőrakó	117
Aldásy Paul. 129.,	188	Benedik Joh.	133
Alumnides Jacob.	49	Berács Joh	125
Ambrosius Andr.	167	Biernstein Melch.	105
Ambrosius Georg. Sup. 13., 80., 155		Blaho Joh.	79
Ambrosius Paul., Dan., Matth., Mich.	167	Blasius Jacob. 50.,	97
Andritius Joh.	36	Blasius Joh 66.,	154
Antoni Dan.	119	Bodo Casp.	103
Antoni Sam. Sup. 80.,	119	Bodo Franc.	104
Antoni Mich. et Petr.	122	Bodo Mich.	104
Arelt Greg.	71	Bodo Casp.	104
Arnoldi David	60	Bodo Dan.	104
Augustini Elias	79	Bodo Andr. Sup.	103
Augustinus Matth.	163	Bodo Andr.	108
Augustinus Paul.	164	Bodo Matth., Andr., Jonas, Joh. 108.,	178
B.		Bohus Franc.	100
Bácsmegyei Joh.	89	Bohus Georg.	156
Bakay Steph.	112	Boleti Matth.	101
Bakos Gabr.	65	Bornemisza Petr. 83.,	84
Balassa Sigism.	10	Bossani M ch.	34
Balassa Melchior	83	Böythe Steph. Sup.	9
Balassa Steph.	83	Braxatoris Adam	64
Balassa Simon	18	Braxatoris Joh. v. Bánóczy	115
Balduinus	63	Brunczvik Tob. Sup. 8.,	87
Bartholomaeides Jonas	125	Bubenka Elias	97
Bartholomaeides Joh.	97	Bubenka Andr. 106.,	116
Baticius Nicol.	17	Buchholtz Georg. 130.,	149
Baticius Nicol. Arv.	121	Bulyovszky Franc. Vice-Comes	116
Bathori Sigism.	30	Bulyovszky Steph., Ladisl., Em.	116
Battyani Adam	89	Burius Joh. Senior	80
Battyani Georg.	104	Büringerus Joh.	76
Buyer Joh. 94.,	132	C.	
Bebelius	20	Calovius Abrah.	18
Becanus	67	Carbonarius Andr. 28.,	29
		Carolus VI. Imp. Rom.	9
		Chlevini Steph.	109

Chmel Dan.	Pag. 37	Felkonius Joh.	Pag. 140
Christiani Joh.	128	Fidicinis Nicol. Sup. 28.,	41
Coladanus Jonas 144.,	145	Fidicinis Joh.	34
Comnetenus Joh.	27	Fischer Georg.	68
Coturius	48	Fischer Mich. 114., 179.,	182
Coxus Valent.	61	Fischer Joh. Georg. 179.,	185
Csemnitzky Petr.	114	Fischer Elias Sup. 170.,	178
Csernák Sam. 20, 33., 36.,	90	Fistrovics Georg. Sup.	93
Czwittinger David	2	Forgács Franc.	6
Czobor Elisab. 12.,	89	Forgács Maria	89
D.		Francisci Thom.	40
Dadan Joh.	100	Fridt Cyprianus	5
Danielis Jos.	34	Froelichius Joh.	71
Deccard Joh. Christ.	189	Froelichius Sam.	71
Dessőffi Thom.	174	Froelich David	71
Devai Mart.	133	Froelich Lud. Mathem.	71
Dióssi Andr. Sup.	42	Frühauf David	134
Dolovicenus Georg.	66	Fuhrman Balth.	46
Dorothicius Thom. 27., 28.,	41	G.	
Dorschaeus	20	Galli Paul	51
Drágfi Casp.	53	Galli Andr.	68
Draskóczky Isaac.	48	Gamius Joh. v. Svatba	68
Draskóczy Sam. 118.,	174	Gassitius Georg.	38
Drugeth de Homonna Joh.	46	Gazur Matth. 22.,	24
Dubovszky Mart.	78	Gerhard Georg.	114
Dnbovszky Mart. 134.,	180	Glosius Joh. 97.,	152
Dubravius Jonas	13	Glosius Joh.	97
Dubravius Dan. Sup. 23.	46	Glosius Dan. et Joh.	98
Duchon Flor.	27	Glosius Mich.	170
E.		Gobius Georg.	145
Eccardus M.	51	Golonecz Tob.	46
Eccardus Christ.	68	Gotthard Georg.	170
Erythraeus Joach. 52.,	68	Göntzius Nic. v. Pálházy Sup.	86
Erythraeus Tob. al. Roth.	52	Göntzius Steph.	86
Eszterházy Nicol.	17	Göntzöl Steph.	89
F.		Görgei Georg.	112
Faber Thom. 61.,	63	Graverus Albert 56.,	69
Fabri Basil. Sup.	44	Greb Mart.	72
Fabri Basil. Rector	44	Greeb Thom. 68.,	72
Fabri Greg. Sup.	190	Grebius	51
Fabritius Joh. Szak. Past.	65	Gretzmacher Mich.	125
Fabritius Joh. 36., 70.,	129	Gutoviensis Jos.	48
Fabritius Thom.	11	Güntherus Andr.	71
Fabritius Georg. 7., 29.,	30	Güntherus Sam.	72
Fabritii alii multi 59.,	171	H.	
Fabritius Andr. Sen. Göm. 124.,	177	Hajnal Matth.	17
Fabritius Adam.	178	Hajnóczy Dan.	81
Farkas Georg. 128.,	149	Heblerus Matth.	5
Farkas Andr.	116	Hegyfalusi Georg. 107., 108.,	109
Fekete Steph. Sup.	94	Hellenbach Joh. B. 89., 97.,	116
Felicides Paul.	128	Heutschius Philipp. Sup.	71
		Heutschius Philipp.	72
		Hluoska Joh.	123

	Pag.
Hodikius Balth.	16
Hodikius Joh. Sup. Isaac. Dan. 16., 19., 28., 29., 31., 51., . . .	87
Hodikius Alex. 18.,	19
Hodikius Jonas 19.,	37
Hoe Matth.	47
Holvajt Georg.	99
Horlerus Stanisl.	59
Horváth Balth. de Grádecz	66
Horváth Greg. 10., 11, 56.,	62
Horváth Greg.	169
Hrubecius Phil.	18
Hruskovicz Sam. Sup. 80., 147.,	151
Hunnius Aegydius	52
Huszár Gallus Sup.	83

I. J.

Jacobaei Paul Modrensis P.	166
Jacobi Paul.	125
Janiczius Joh.	6
Jánoky Sigism.	114
Jaster Sam.	77
Jeszenszky Steph.	125
Ihnatius Georg.	124
Illyésházy Casp. 17., 18., 19., 20., 21., 23., 46.,	47
Illyésházy Steph. 55.,	56
Illyésházy Gabr. 35., 47.,	66
Illyésházy Georg.	35
Institoris Mich.	140
Institoris Elias	153
Institoris Matth. Doct. M.	153
Jony Joh.	192
Izdencki Mart.	114

K.

Kádasy Georg.	151
Kajali Paul. 106.,	114
Kalmanczai Steph.	78
Kalinkius Joh. 22.,	30
Kalinkius Joach. Sup. 20., 21., 22, 31., 47., 48.,	49
Kalinkius Dan. et Zachar.	24
Karpe Frid. 128.,	145
Kazy Franc. 6.,	26
Kegyér Joh.	133
Keil Georg.	157
Kello Leonh.	30
Kereszturi Joh.	79
Kircher Joh.	20
Kis Adam 68,	85
Kis Barthol. Sup. 90.,	92
Kis Paul. et Adam. 20.,	90
Kis Thomas	89
Kissel Franc.	122

	Pag.
Klaszekovics Steph. Sup. 85.,	88
Klein Barthol.	72
Klein Clemens	72
Klein Valent.	72
Klein Mich.	72
Klein Joh.	72
Klesch Joh.	136
Kleschius Dan. 2., 66., 67., 72.	132
Klingschnur Val.	128
Kmethoni Thom. 128.,	173
Kolbanyi Paul.	97
Kray Paul.	68
Kretsmerus Joh.	135
Kretsmerus Ephraim 72.,	135
Krman Dan. 99,	144
Krman Dan. Sup. 50., 80., 99.,	164
Krman Mich. Matth.	101
Krumholtz Mich.	182
Krusprierus Steph. 15.,	17
Kuriányi Georg.	68
Kutsera Joh.	35

L.

Ladiver Elias 36., 58., 66., 94., 111.,	133
Langfeldius Georg. et Christ.	65
Lani Elias Sup. 10.,	40
Lani Dan. 14.,	32
Lani Dav. Sup. 14., 34.,	36
Lani Zachar. Sup. 19.,	31
Lani Zachar. 14.,	21
Lani Greg. Sup. 14., 21., 23.,	31
Lani Balth.	32
Lani Isaac.	14
Lani Georg. Rect. Carp. 38.,	128
Lani Joh.	51
Lani Dan. auct. Ign. Ver. Col.	2
Lani Dan. Kesmark. 130.,	181
Lani Jacob.	130
Lazarus Joh.	136
Lazarus August.	136
Lendvay Pet. Paul. 129.,	149
Lentius Paul.	26
Lethenyey Steph. Sup. 88.,	91
Libertini Tob. 41.,	43
Liefman Mich. Sup.	65
Lohkovics Eva	89
Lochman Matth. 14.,	26
Lochman Paul 20.,	90
Longai Joh.	128
Lösics Steph.	89
Lovcsani Joh. 97.,	150
Lucae Nicol.	45
Lycius Joh.	18

M.	Pag.
Madács Petr.	105
Magyari Steph. 83., 85.	86
Major Paul. Senior 57., 84.,	127
Major Joh. 127.,	152
Major Paul. Joh., Andr. 152.,	174
Makovinyi Joh.	115
Malus Paul. v Jablonszky 11.,	16
Mariassy Franc.	118
Martini Jacob. 12., 16., 19., 48.,	67
Martini Nicol.	45
Martini Leonhard.	7
Martini Nicol. Sup.	45
Martini Samuel	45
Martinides Thom.	43
Martonfi Israel	106
Masnitius Tob.	36
Materini Nicol.	120
Matthias II. Imp. Rom. 6.,	55
Maurer Mart.	98
Mazari Christ. 38.,	98
Megander Christ.	47
Meisnerus Balth. 15.,	17
Melanchton Philipp. 51.,	61
Melikius Salamon	25
Melikius Sam. Sup. 14.,	17
Melikius Andr.	25
Melikius Jerem.	26
Michaelides Joh.	143
Michaelides Sam Sup. 80.,	143
Michaelides Joh., Frid., Sam.	145
Micsinszky Joh. 145,	166
Milecz Elias	142
Mischoviczius Mich. 115.,	117
Mockius Jacob. 85.,	89
Mohlius Elias Sup.	141
Mokosini Leonh.	22
Mokosini Thom.	27
Mollerus Jacob. et fil. Dan.	71
Moschovinus Joh. 18.,	14
Mudrony Mart.	156
Muraközy Georg. Sup.	85
Musay Greg. Sup.	93
Müller Joh.	68
N.	
Nádasdy Franc. 9., 85.,	90
Nádasdy Paul. 89., 90.,	92
Nagy Marcell.	12
Nedeczky Mich.	18
Némethi Andr.	128
Németh Franc. 59.,	136
Nostitius Joh.	12
Nyári Lud.	43

O.	Pag.
Oertelius Joh. 145., 146.,	158
Okolicsányi Paul. Adv.	120
Okolicsányi Christoph.	120
Okolicsányi Mich.	114
Osztrosith Andr.	55
Osztrosith Joh. 22.,	23
Osztrosith Steph.	22
Osztrosith Paul., Nicol., Matth.	49
22., 23.,	122
Osztrosith Matth.	114
Ottlik Georg.	114

P.	
Pálffy Joh.	118
Pálffy Cathar.	27
Parschitius Dan. 80.,	144
Paskony Paul., Mich.	112
Pau'ini Dan.	44
Paulini Sam.	17
Paulini Georg. 115.,	123
Pázmány Petrus 6.,	18
Pelcius Gallus	71
Pelsőczy Mart. 123.,	158
Perlaky Georg.	188
Perlaky David	188
Perlaky Jos. Sup.	188
Perliczius Dan.	182
Perliczius Elias 149.,	181
Perliczius Dan. Doct. Med.	182
Peschovius Dan. 72.,	73
Petics Joh.	125
Petróczy Steph.	114
Petroviczius Georg. 106.,	123
Petroviczius Zach.	156
Pfanschmid Dan.	135
Pfanschmid Christian. Sup.	135
Pfeiffer Mart. 65., 68., 76.,	186
Pica Mich.	156
Pilarik Steph.	97
Pilarik Steph. auct. Curr. Jeh.	97
Pilarik Steph. Past. Tyrn.	97
Pilarik Steph. Sup.	96
Pilarik Esaias 51.,	97
Pilarik Joh.	140
Pilarik Jerem. 97.,	98
Pilarik Gabriel	97
Pilarik Jerem. Sup.	149
Pilcius Casp.	63
Pithyraeus Greg.	88
Platy Lad.	146
Platner Anton.	58
Plochius Joh.	66
Plochius Christoph.	66
Pohlius Mich. 140., 142., 150.,	164

	Pag.
Polani Joh.	64
Pollucius Tob. 78.,	136
Pomarius Sam 53., 56., 68., 70., 94., 110.,	111
Popradius Adam	78
Possius Christoph.	64
Pribischius Dan.	13
Prileszky Paul.	114
Pruni Matth.	166
Pusóczy Nicol.	94
Pyxiades Georg. 106.,	108

Q.

Qnendel Laurent.	60
Quirinus Jacob.	68
Quistorpius Joh.	18

R.

Rabacher Andr.	142
Radvany Georg.	152
Radvany Joh. et filii Georg. Lad. Steph. 114.,	152
Rászga Mart.	122
Rhaw Joh. Rector	53
Reczeas Joh.	83
Regis Mart. et fil. Moses 117.,	157
Regius Jacob. v. Királyi	105
Regius Joseph.	105
Reichlinus	51
Reinhardus Mart.	5
Reis Casp.	183
Remenius Dan.	50
Reszler Andr.	120
Révay Andr. B.	18
Révay Petr. C. 55.,	89
Révay Elisab.	47
Révay Judith. 89.,	92
Rezik Joh. 20., 80.,	113
Rimanoviani Joh.	5
Rohacsius Melch. Sup.	27
Rohrman.	60
Rosaides Joh.	68
Rosziar Petr	97
Roszinszky Adam	69
Rotarides Nicol.	46
Rotarides Mich.	3
Rothius Melch.	72
Röser Jacob.	181
Rudolphus II. Imp. Rom. 6.,	55
Rumi Sam.	182

S. Sz.

Sachs de Hartenek Joh. C. v. Za- banius	111
Salakius Joh.	51

	Pag.
Sambar Matth.	70
Sander Anton.	119
Sárosy Joh. 109.,	111
Sárosy Joh. Sup.	109
Sárosy Joh.	75
Sartorius Sam.	129
Sartorius Georg.	128
Sartorius Joh.	68
Sartorius Jerem.	121
Sartorius Elias 148.,	172
Sartorius Dan. 128.,	148
Sartorius Jonas 151.,	157
Scapalius Jacob.	136
Schader Joh. 119.,	120
Scharffius Joh. 48.,	59
Schlegelius Christoph.	60
Schlehikius Nicol.	83
Schreiberus Joh. Georg.	142
Sculteti Sever. 9., 62., 63., 82.,	85
Sculteti Dan.	72
Schwarz Joh. Godofr.	131
Schwarzius Joh. Sup.	181
Schwartz Andr.	131
Schultzius Mich.	24
Schultz Dan	52
Seelman Christ. 68.,	186
Serpilius August.	68
Severini Paul.	79
Severini Steph.	79
Severini Sam.	30
Sexti Petr. Sup.	29
Sexti Petr. 7	30
Sexti Andr. 108., 115.,	128
Sexti Joh. et Andr.	124
Sextius Joh. Carp. P. 33., 74.,	128
Sibolti Demetr. 83.,	84
Simonides Paul.	86
Simonides Paul.	46
Simonides Sam. et Paul. 152., 185.,	188
Simonides Joh. 36., 87., 79., 98.,	145
Sinapius Mich. 36.,	52
Sinapius Joh. et Dan. 36., 50.,	52
Sipos Joh.	100
Solkovius Jacob.	173
Soterius Georg.	111
Spetkius Mart. Sup.	32
Spetkius Georg. Dan.	32
Spieglerus Jacob.	13
Spleni Jacob.	21
Stancarus Franc.	61
Stöckelius Leonh. 61.,	69
Stöckelius Joh., David, Leonh.	61
Sturmianus Mart.	57
Sunyawszky Matth.	89
Svatba v. Gamius	68

	Pag.
Szakolezai Joh.	177
Szamarjai Joh.	92
Szászky Tomka Joh.	190
Széchy Georg.	29
Széchy Mich.	89
Széchy Eva	35
Szegedi Bened.	30
Szegedi Steph.	88
Szegedi Franc.	70
Szeleczky Mart.	121
Szelepcsényi Georg.	35
Szente Petr.	89
Szentgyörgyi Sam.	129
Szerdahelyi Gabr.	142
Szirmay Nicol.	123
Szirmay Thom. 137.,	169
Szmrtnikius Joh.	30
Szoczovinus Alex, et Andr. 25.,	26
Szontagh Casp. 59., 170.,	173
Szunyogh Moses.	10

T.

Takács Nicol.	89
Tárkány Steph.	94
Tarnóczius Mart. Sup. 28., 24.,	74
48.,	74
Temper Basil.	88
Teubel Joh.	57
Textoris Georg.	92
Theteni Dan.	88
Thomae Elias	49
Thöke Sigism.	108
Thököly Steph. 13.,	66
Thököli Sigism.	67
Thurius Paul.	62
Thurzo Georg. C. 6., 7., 12., 14.,	55
31., 39., 40., 41., 43., 44.,	55
Thurzo Christ. 7., 40., 51., 58.,	54
Thurzo Stanisl. 16., 41., 43.,	87
55., 56., 58.,	87
Thurzo Emer. 17.,	28
Thurzo Cathar.	18
Titkonides Andr.	18
Tomka Szászky Joh.	190
Tomorius Paul.	104
Tóth Sipkovics Joh. Sup.	186
Trusius Hiob. 36., 50.,	51
Tubel Jacob. 180., 168.,	177

V. W. U.

Wagner Mart.	62
----------------------	----

	Pag.
Wagner Valent.	62
Wagner Jacob.	63
Wagner Leonh.	68
Wagner Mart. Sup.	60
Vajda Joh.	30
Valovicz Gabr.	27
Vásónyi Mart.	145
Vedrinszky Georg.	115
Weinert And.	171
Weniert Sam. 171.,	182
Verantius Ant.	61
Wiardt Generalis 116.,	118
Wietoris Matth.	129
Wietoris Andr. 129., 158.,	178
Ujfalusi Gregor.	38
Windisch Joh. et fil. Joh. 58.,	59
Wislicenus Joh.	47
Umbehauen Mich.	115
Urbanovics Andr.	51
Ursinus Elias	56

X.

Xylander Steph. Sup. 51.,	58
Xylander Guilb.	51
Xylander Caspar.	51

Z.

Zabanius Isaac. 94., 111.,	133
Zabanius Joh. v. Sachs de Hart.	111
Zabellerus Petr. Sup. 54.,	55
Zabellerus Jacob. et Job.	58
Zabellerus Jacob. Sup.	76
Zabellerus Jacob. 63., 65., 68.,	97
Zablatsky Gabr.	147
Zabochnik Georg. Sup. et fil. Ge- org 37.,	38
Záborszky Jacob. Sup.	189
Záborszky Mich.	141
Zarevuczy Paul.	105
Závodszy Georg.	40
Zay Laurent.	114
Zelder Urban	100
Zelenka Joh.	98
Zimmermann Matth.	132
Zrubka Franc.	99
Zvonarics Emer.	88
Zvonarics Mich. 85., 88.,	92
Zvonarics Steph. et Georg.	89

Conspectus operis.

	Pag.
Praefatio ad Lectorem	1
Prolegomena de ordine et fatis Superintendentum in Hungaria	4
Pars I. De Superintendentibus seculi superioris	9
Sectio I. De Superintendentibus Cis-Danubianis	10
Caput I. De Superintendentibus Trench., Lipt. Arvens. Com.	10
a) Elias Lany	10
b) M. Joh. Hodikius	16
c) M. Zachar. Lany	19
d) Joach. Kalinkius	22
Caput II. De Superintendentibus Thurocz. Hont., Sol., Neograd. Com.	25
a) Sam. Melikius	25
b) Melchior Rohatsius	27
c) Petrus Sextius	29
d) M. Gregor. Lany	31
e) Mart. Spetkius	32
f) David Lany	34
g) Georg. Zabochnik	37
Caput III. De Superintendentibus Pozon., Nitriens. Bars. Com.	39
a) Isaacus Abrahamides	39
b) Nicolaus Fidicinis	41
c) Andr. Diósi	42
d) Basil. Fabri	44
e) Nicol. Martini	45
f) Dan. Dubravius	46
g) Mart. Tarnoczius	48
Sectio II. De Superintendentibus Cis-Tibiscanis	51
a) M. Steph. Xylander	51
b) M. Petrus Zabelerus	55
c) Martin. Wagnerus	60
d) Mich. Liefmannus	65
e) Philipp. Heutschius	71
f) Jacob. Zabelerus	76
Sectio III. De Superintendentibus Trans-Danubianis	81
Caput I. De Superintendentibus ante Synodum Csepreg.	82
a) Gallus Huszár	83
b) Petrus Bornemisza	83
c) Demetr. Sibolthi	83
Caput II. De Superintendentibus post Synodum Csepreg.	84
a) Georg. Muraközi	85
b) Steph. Klaszekovics	85
c) Nicol. Göntzius	86
d) Tob. Brunczvik	87
e) Mich. Zvonarits	88
f) Barth. Kis	90
g) Steph. Lethenyey	91
h) Greg. Musay	93
i) Georg. Fistrovics	93

	Pag.
k) Steph. Fekete	94
P a r s II. De Superintendentibus hujus seculi	96
S e c t i o I. De Superintendentibus ante resolutionem Carolinam	96
C a p u t I. De Superintendentibus Cis-Danubianis	96
a) M. Steph. Pilarikius	96
b) Dan. Krmannus	99
C a p u t II. De Superintendentibus Cis-Tibiscanis	108
M e m b r u m I. De Superintendentibus Comitatum	108
a) Andr. Bodo	108
b) M. Joh. Sárossy	109
c) Sam. Antoni	119
M e m b r u m II. De Superintendentibus Lib. Reg. Civitatum	131
a) Joh. Schwartzius	131
b) Christ. Phanschmid	135
S e c t i o II. De Superintendentibus post resolutionem Carolinam	138
C a p u t I De Superintendentibus Districtus Cis-Danubiani	139
a) Jacob. Zaborszky	139
b) Elias Mohlius	141
C a p u t II. De Superintendentibus Districtus Montani seu Medü	143
a) Sam. Michaelides	143
b) Jerem. Pilarik	149
c) Sam. Hruskovicz	151
C a p u t III. De Superintendentibus Cis- et Trans-Tibiscanis	155
a) Georg. Ambrosius	155
b) Elias Fischerus	173
C a p u t IV; De Superintendentibus Trans-Danubianis	186
a) Joh. Tóth-Sipkovics	186
b) Joseph. Perlaký	188
c) Gregor. Fabri	190

NAGYOBB SAJTÓHIBÁK.

l. sz.	sor		helyett	olvasd.
1	2	alul	Chanitii	Charitii
3	13	—	Strinciana	Struwiana
4	11	felül	Signi	Achillis
5	5	alul	potes	potest
6	1	felül	nstituise	instituise
6	6, 11, 15	alul	Janicius	Jemicius
8	1	—	nfirmatae	confirmatae
9	16	—	vum	Divum
—	13	—	p. 8. et 9.	maradjon ki.
12	5	—	Spregelium	Spiegelium
14	8	—	literarum után	kimaradt editum
20	11	felül	cum	eum
29	6	alul	Bubrukianam	Bubenkianam
35	8	—	zselepcsényi	Szelepcsényi
36	21	—	Theologiam	Theologicam
42	10	—	Viennens	Viennensi
—	—	—	declamatai	declamata
51	1	—	Melanthon	Melanchthon
60	1	—	otuerit	potuerit
62	5	—	natuo	natus
65	5	—	naugurari	inaugurari
67	4	—	minoa	minora
81	7	—	Myrthae	Myrrhae
89	1	—	sus	suo
93	3	—	Tán	maradjon ki
95	16	felül	Tán	maradjon ki
100	11	alul	inauguratione	inaugurationi
—	4	—	civitate után	donavit
106	7	—	at	an
125	6	—	Mimoritae	Minoritae
130	16	—	multo .. után	.. est
135	10	—	nunciat	nunciat
138	5	—	Commissalium	Commissionarium

142	. . .	8	. . .	felül	. . .	elegantiatione	. . .	eleganti oratione
151	. . .	9—8	. . .	alul	. . .	Carpoponensi	. . .	Carponensi
153	. . .	20	. . .	felül	. . .	Francisco	. . .	Francisci
157	. . .	1	. . .	alul	. . .	muni	. . .	munia
162	. . .	16	. . .	felül	. . .	deducendus erat	után	indueret,
164	. . .	8	. . .	—	. . .	Mnsarum	. . .	Musarum
—	. . .	14	. . .	—	. . .	corum	. . .	eorum
172	. . .	1	. . .	alul	. . .	omniu robatione	. . .	omnium adprobatione
175	. . .	4	. . .	felül	. . .	aberint	. . .	abierint
177	. . .	18	. . .	alul	. . .	per.	. . .	maradjon ki
178	. . .	12	. . .	—	. . .	ocasioe	. . .	occasione
				A Syllabusban	. . .	Janicius	. . .	Jemicius



1
2

■

BX8026.H8F3
Monumenta Evangelicorum Au
Andover-Harvard



3 2044 077 949

Fabó, András	BX
Monumenta evangelicorum	8026
Aug. Conf. in Hungaria	.F8
historica.	F3
	v.1



